YU ISSN 0514-7697

ŽIVA ANTIKA

SINGULARES EDITIONES

No 8

S. Kopriva

# VERSUS LATINI



SCUPIS

MDCCCCLXXXIX

YU ISSN 0514-7697

# ŽIVA ANTIKA

## SINGULARES EDITIONES
## No 8

S. Kopriva

# VERSUS LATINI



SCUPIS
MDCCCCLXXXIX

VIVA ANTIQUITAS

SINGULARES EDITIONES

№ 8

S. KOPRIVA

# VERSUS LATINI

Hoc volumen
**Petrus Chr. Ilievski** et **Caietanus Gantar**
**Miodrago M. Todorović** et **Breda Čop** adiuvantibus
edendum curaverunt

SCUPIS

MDCCCCLXXXIX



Silvester Kopriva

# PRAEFATIO

Cum Silvester Kopriva nuper octogenaria anniversaria celebraret, amicis et discipulis eius versus Latinos in serie „Vivae Antiquitatis Singulares Editiones" edere placuit.

Sed primum nobis pauca de vita et opere eius dicere opportunum videtur.

Silvester Kopriva, cuius cognomen Slovenicum idem atque Latine „Urtica" significat, natus est Kalendis Decembribus A. D. MCMVIII in vico Laporje. Hic vicus, in Stiria Inferiore situs, decem milia passuum ab oppido Slovenska Bistrica ad meridiem versus abest, ubi et Pultovia antiqua sita esse existimatur. Silvestris pater Augustus ludi magister fuit, mater Milena, priusquam Augusto nupsit, cognomen Pavlič duxit. Annis puerilibus Silvester ludos elementares in vicis Laporje et Polskava vicina frequentabat (1917—1921), post in gymnasium classicum Marburgense missus est (Maribor 1921 — 1928). Maturitatem adeptus Mursae (quae postea Essekinum, nunc Osijek appellatur), in capite Slavoniae, militiam solvit (1928—1929), post in Alma matre Labacensi litteris Latinis Graecisque studuit (1929—1933). Munere professoris linguae Latinae et Graecae functus est primum in oppido Bol (Brattiae, in insula Adriatica, situm 1933—1934), deinde Novae Gradiscae, in oppido Slavoniae (1934—1940), denique in gymnasio olim classico Labacensi (Ljubljana 1940—1972). Neque tamen linguam Latinam et Graecam solum docebat, sed in temporibus, quae antiquitati studendae haud grata fuerunt, discipulos nonnumquam et historia et geographia et lingua Slovenica et Croatica sive Serbica et Germanica, ut pro re et tempore necessarium fuit, imbuit. Annis 1971—1983 etiam in Universitate Labacensi acroases de arte linguae Latinae et Graecae docendae habebat, quibus futuros magistros instruebat; eodem fere tempore studentibus historiae, archaeologiae, historiae artis, deinde linguae Italicae et Francogallicae elementa grammaticae Latinae tradebat. Postquam lingua Graeca e gymnasiis Slovenicis remota est, per multos annos discipulos nullis officiis obstructos horis matutinis elementis linguae Graecae imbuebat (1960—1986). Item per mul-

tos annos Tergesti discipulos gymnasii Slovenici ad examina reparationis, quae ipsis aestate exeunte facienda erant, praeparabat (1960—1978).

Neque tamen Silvester noster acroasibus et sermonibus tantum, sed etiam libris scribendis linguam Latinam propagavit. Nam complures libros de lingua Latina instituenda scripsit, quorum vel gravissimus est De grammatica Latina (1976), quadringentas paginas amplectens. Haud parvum est etiam quod stili et linguae corrector perfecit, cum centenas plagulas librorum de artis et literarum Slovenicarum historia emendandas curavit. Maximam diligentiam in inscriptiones Latinas Labacenses contulit, cum non solum inscriptiones Latinas Romanae antiquitatis, sed etiam medii aevi, renascentis aetatis, barocae, quin etiam vicesimi saeculi collegit et interpretatus est.

Nobis autem maximi videntur momenti versus Latini, quos Silvester noster sive ipse divino quodam impetu excitatus sive summa doctrina imbutus sive aliorum carmina vertens conscripsit. Versus quidem Latinos iam annis iuvenilibus scribere coepit, sed membranis intus positis domi servavit, ut ter nonum premerentur in annum. Itaque versus eius Latini vix anno MCMXLIV in Viva antiquitate (Živa antika), ephemeride philologorum Iugoslaviae, primum in lucem prodierunt, cuius ephemeridis posthac fidelissimus socius usque ad hodierna tempora permansit. Permulta carmina poetarum Slovenicorum Latine reddidit, quae nunc in priore parte huius libri tamquam parvum florilegium poeseos Slovenicae collecta sunt. In quorum numero et nomina penitus incognita inveniuntur, quae in nulla litterarum historia apparent; nam Silvester noster et versus amicorum et discipulorum suorum vertere solebat. Praeterea et nonnullos versus aliarum gentium, praesertim Slavarum, pauca etiam de lingua Italica et Germanica Latine redidit.

Ceterum Silvester noster non solum alienorum interpres, sed etiam propriorum carminum auctor est. Cuius rei testimonia dant carmina de vere, aestate, autumno, hieme conscripta, ubi vena ingenii poetici pulcherrime perspicua est. Scripsit et nonnulla carmina docta, laudationes et descriptiones urbium, in quibus varii conventus philologorum habebantur aut sollemnia celebrabantur. Cum haec propria eius carmina in priore parte huius libri edenda esse censeremus, auctor nimis modestus a iudicio nostro dissensit; quam ob rem primo loco versiones apparent, quas carmina eius propria sequuntur.

Auctor plurima carmina quantitatem syllabarum respiciens hexametris, distichis elegiacis, senariis, hendecasyllabis Phalaeceis, strophis Sapphicis Alcaicis aliisque, quae anti-

quitatis classicae propria sunt, Latine reddidit; itaque in toto libro sedecim variis versibus usus est. Perpauca tantum carmina rhythmice, i.e. accentum vocis observantia, ut mos erat apud poetas medii aevi, reddita sunt, velut Harundini, Ave Maria, Alaudula.

Carmina prioris partis huius libri ita disposita sunt, ut primum cantilenae Slovenicae populares, tum poetae ordine chronologico ab antiquissimis, i.e. ab altissimo poeta Francisco Prešeren, usque ad scribas recentioris aetatis sequerentur. Similiter et carmina aliarum gentium disposita sunt, ita ut exempli gratia apud poetas Croatos primum Petar Preradović, deinde August Šenoa, tum Franjo Ciraki, denique Drago Gervais appareret.

Ceterum Silvester noster enuntiavit nobis se domi paene totidem alios versus Latinos manu scriptos habere, qui adhuc nusquam editi sunt. Quos versus propter temporum iniquitates in praesenti imprimere non potuimus, quod valde dolendum nobis est, quippe cum circuitus huius libri alioquin duplex esse possit. Utinam di nobis propitii sint, ita ut et haec carmina aliquando divulgare et omnibus, qui in orbe terrarum Latini sermonis amantes et exoptantes sunt, legenda mittere possimus!

Postremo iucundissimum nobis manet officium, ut Maecenatibus nostris gratias agamus, qui nos pecunia tribuenda adiuverunt et ita de hoc libro edendo optime meriti sunt, in quorum numero imprimis Institutum studiis artibusque investigandis Facultatis litterarum Labacensis (Znanstveni inštitut Filozofske fakultete v Ljubljani), deinde Societas interpretum litterarum Sloveniae (Društvo slovenskih književnih prevajalcev), tum Societas studiis antiquitatis et humanitatis colendis Sloveniae (Društvo za antične in humanistične študije Slovenije) memorandae nobis sunt. Sint Maecenates, non derunt Marones!

Caietanus Gantar

# A. CARMINA CONVERSA

## CARMINA SLOVENICA

### Carmina popularia

### AJ MATI — MATER, AH, MATERCULA

Mater, ah, matercula,
semper arces quidpiam.
Arceas si me quidem
Quin bacillo ferreo,
me non impediveris:
Tótiens vós adíbo egó,
ut viamque et semitam
ad vos sic mihi parem,
tandem eam tibi auferam
hanc pulchram rosam tuam.

### BOM PISMO PISALA — SCRIBAM LITTERAS

Scribam litteras ego
Hoce rubro sanguine,
Quas amato dirigam,
Ei per plana, per iuga:

„Annos te fideliter
Tres amans desidero,
Lacrimae genas rigant,
Sola iugiter gemo.

Nóctes et dies memor
Hic tui tristis moror,
Non prius levamen est,
Quam nobis reverteris.

## ŠKRJANČEK POJE — ALAUDA CANTAT PARVULA

(Rhythmice)

Alauda cantum tremulo
Ex suo fundit gutture
Gaudetque die nitido
Et laudat diem carmine,
Salutat collem viridem
Nec non planitiem.

Quacumque ibam, ubivis
Morabar, nondum nobilem
Tam vultus pulchri, gracilis
Videbam talem virginem,
Clementi perquam animo,
Tam corde placido.

Et ubicumque adsumus
Et nos venimus obvii,
Nos mititer aspicimus
Et utriusque oculi,
Quod facit haec amoris vis,
Sunt pleni lacrimis.

## EJ VIGRED — VER EST ECCE

Ver est, ecce, novis decoratur floribus orbis,
Est mihi cor gaudens arboribus viridis.
Agricolae laetantur, nix quia liquitur arvis,
Nam serere incipient multum hilares iterum.

Dulcis alauda, potest quae non iam ducere somnum,
Incipit, en, primo fundere mane melos;
Cantat et ascendit ducitque per aëra gyros
Atque Creatorem munificum celebrat.

Ver habet hoc placidum sua gaudia blanda, serena
Et flores varios et volucres teneros.
Sed cum mensibus exactis discesserit annus,
Gaudia cessabunt, nempe redibit hiems.

## EJ VIGRED — VER EST

(Eiusdem carminis altera versio)

Ver est, condecorantur arva flore,
Gestit arbore cor mihi virenti.
Gaudent ruricolae, quod est soluta
Nix ac sunt iterum impigre saturi.

Non dormire valens alauda primo
Incipit melos, en, mane sonare;
Ascendens volat et canit per auras,
Sublimem celebrat suum Satorem.

Ver hoc laetitias habet suaves,
Et flores varios avesque miras.
Sed discesserit annus atque abibunt
Rursus gaudia namque hiems redibit.

## POJEM IN SE VESELIM — CANO GESTIOQUE

Cánto géstióque egó.
Sed quid memet hoc iuvat,
Cum me amans non audiat,
Atqui parvae aves modo
Audiunt et ex iugis
Atque ex valle devia
Respondet modo latens
Echo pertinax mihi.

## TA MOJA ROŽICA — FLOS HIC MEUS

Flós astútus hic meús
Cánere nóctu mi meat
Cunctis dormientibus.
Ei die cantabo ego,
Quando omnes foris erunt
Cunctis audientibus.

## DVE LET' IN POL — PER DUOS ANNOS ET SEMIS

Per duos annos duo
Nos semisque amavimus,
Semis atque annos duos
Nos duo beavimus.
Sed divina nos duos
Separaverat manus.
Scit Deus, si nos duo
Rursus nos videbimus.

Umbra pulchra, nos ubi
Considebamus duo.
Umbra grata, nos ubi
Concinebamus duo,
Nos aves has parvulas
Auscultavimus duo,
Hic alaudas garrulas
Nos audivimus duo.

**Francè Prešeren**

## SEM DOLGO UPAL — DIU FOVEBAM SPEM

Diu fovebam spem, diu timebam ego,
Dixi vale timoribus, dixi speí;
Cor est inane nec beatum est cor meum,
Revocáre spem nec non metum desiderat.

## ZDRAVILO LJUBEZNI — REMEDIUM AMORIS

(Rhythmice)

Mortua est amanti amata
Annos puella septendecim nata.

Iuvenis illi promisit manere
Fidus nec menses sex desiit flere.

Tristiter flebat et maeste gemebat,
Tumulum eius semper visebat.

Mater sic praebet solacium illi:
„Ego tres fratres habeo, fili.

Primus mercator est, huic diligenti
Multum est auri et multum argenti.

Migrat ab urbe ad urbem gaudenter,
Te quoque secum ducet libenter.

Iter ad eum fac, mundum perlustra,
Videbis puellas, non erit frustra!

Primae oblítus tu magis bellas
Et dites in mundo videbis puellas.

Nisi fuerit tuum cor sanum,
Domum revértere unum post annum!

Alter est in monasterio frater,
Avunculus tuus, est abbas pater.

Abbas et monachi, viri prudentes,
Tuos dolores fugabunt urentes.

Libri, secessus, ieiunia dabunt
Tibi quietem pacemque praestabunt;

Nisi fuerit tuum cor sanum
Domum revértere unum post annum!

Meus est tertius frater dux belli,
Tibi spes desperationem est pelli.

Magna cordis putatur potestas
Militum cara, clara honestas.

Atque in bello tuum cor sanum
Fiet certissime unum post annum."

Diu hunc debuit mater orare,
Antequam voluit auscultare.

Comiter hunc excepit mercator,
Largus huic erat pecuniae dator.

Eum secum per urbes ducebat,
Laetus ut esset, ab eo petebat.

Ei amplissimum mundum monstravit,
Multas ubique puellas spectavit.

Dites, prudentes pulchrasque videbat,
Mortuam tamen mente tenebat.

Atque cum annus transisset totus,
Magis ad matrem revertit aegrotus.

Tumulum carae ut ante visebat,
Tristiter flebat et maeste gemebat.

Contulit in monasterium sese,
Ubi sciebat avunculum esse.

Abbas et monachi, viri prudentes,
Eum sanandi non erant potentes.

Agens ieiunia, orans discebat,
Pax tamen in cor reverti nolebat.

Atque cum annus transisset totus,
Magis ad matrem revertit aegrotus.

Tumulum carae ut ante visebat,
Tristiter flebat et maeste gemebat.

„Tertio, fili, avunculo vadas,
Saevos dolores ex corde ut radas!"

Iit in bellum se fortiter gerens
Pacem sibi, non gloriam quaerens.

Antequam anni dies cesserunt,
Matri epistulam unam miserunt.

Erat epistula nigre signata:
'Filio tuo nunc pax est data!'

## PESEM MOJA — VAS EST, ECCE

Vas est, grata, tui suavis mea nominis ode
huius cordis eri nominis, ecce, tui;
Nominis alta tui per Slavorum populares
vase feretur vox, qua patet orbis iter.
Hoc in vase notis auratis fama legetur
omnibus in populis nominis usque tui.
Cum duo nos erimus cumbae iam praeda Charontis
vase nitebit lux nominis orta tui.
Quam Deliaeve, Corinae plus Lauraeve dolendum est.
nominis egregii non meminisse tui.

## TRNOVO
## BIL VEL'KI TEDEN JE — PASCHAE TEMPUS ERAT

Anni praeteriere hactenus abs eo
Laeto tempore, postquam angelicum melos
Ad Bethlem genitum protulerat Deum,
Sescenti ter et hi bis quoque sedecim.

Paschae tempus erat; sancto ego sabbato,
Cum Christi tumulus nos vocat ad preces,
Visebam, Labacum, tum ecclesias tuas,
In Trnovo means de decima fui.

O Trnovo, locus qui miserabilis
Extas nominis, est namque satus dolor
E flammis oculorum hic mihi limpidis!

Fanum cum subiit luminibus micans
Illa, in cor cecidit mi ignis amorifer,
Quem vis nulla potest perdere fervidum.

## O VRBA — O PAGE PATERNE!

O tu Vrba, paterne page felix,
cara tecta ubi sunt mei parentis,
ne me ex te vagus ille litterarum
seduxisset amor, dolosus anguis!

Nescirem, ut fierent venena cuncta,
quae cor cumque sibi cupit beata;
non adempta mei fides foret mi
atque in me iocus haud forem furorum.

Cor fidele, manus laboriosae,
cum nupta mihi dos nova fuissent,
quam ditissima non habet puella.

Et lembus placide meus nataret.
Vicinus tegeres domos ab igne et
messem a grandinibus, beate Marce.

## SREČE DAR — CUI FORTUNA

Cui fortuna alapam dedit maligna,
Quem sicut me odiis iniqua vexat,
Centum possideat manus Gigantum,
Numquam coget honesta dona Pluti.

Spinis est gradienti iter repletum,
Aerumnae miseri premunt penates,
Circum mille feruntur et tenaces
Usque percutiunt furore tecta.

Curae fervidae eum fugant et angor,
Pacem non miser invenit, tametsi
Perquirat loca cuncta coelo operta.

Tum demum requiescet, in tenebras
cum fata extulerint eum quietas,
Quae abstergent faciem sudore tinctam.

## ŽIVLJENJE JEČA — VITA CARCER

Vita est carcer inestque tempus atrox
Tortor, cura comes vigens prennis,
Angor atque dolor fidele munus,
Poenitenia sempiterna custos.

Ne mors grata nimis diu moréris:
Tu clavis, ianua ac via es beata,
Illuc nos agis e loco doloris,
Cuncta vincula ubi ruit putredo;

Vis non quidquam ubi pollet insequentum,
Noxae nos ubi non prement iniquae,
Omni pondere ubi iam homo levatur;

Illuc sub tumulum in torum nigrantem,
In quo, qui cubuit semel, quiescit,
Ut nullo strepitu ille suscitetur.

## MEMENTO MORI!

Est vitae spatium terricolis breve.
Quot notos tumulo pala iam humaverat!
Ditis perpetuo porta patet feri,
sed nullus liber est, qui memoret diem.

Non a morte tegit candida nos cutis,
non auri cumulus funere liberat,
nec vitae vaga fur vertitur in fugam
seu laeto strepitu seu lyricis modis.

Fatalis proprius semper adit dies!
Iam secum reputet, qui levitatem amat
mundi deliciis assidue fruens:

Qui nunc ipsum hilaris cantat et integer,
fortasse in fereto vespere mortuus
clamabit tacitus- „Esto memor mori!"

## IZ ZDRAVICE — E CANTICO PROPINATIONIS

Vitis nunc iterum ferax
Nobis dulce dedit merum,
Quod nostros animos levát,
Cor delectat et lumina,
Demit sollicitudines
Spemque in pectora fundit.

Vivant, heus, populi simul,
Qui desiderio flagrant,
Ut quondam videant diem,
Quo lis orbe repulsa sit,
Quo omnes liberi et invicem
Semper sint boni amici!

**Anton Martin Slomšek**

## VESELI HRIBČEK — LAETUS COLLIS

En collem coëmam seramque vites,
Invito socios bibamque vinum
Ipse; supra ibi post casam stat alma
Palmes plena racemis, sustinens vix.
Iam grillus canit et dormire non quit,
Nempe uvas legier iubet, legemus
Has rursus; strepitant equi vehentes
Enixe, quoniam merum suave est
Admodum et micat helvum sicut aurum.
Ut decet, generosum hoc combibamus!

## MODRE MISLI — SENTENTIAE

Non est is felix, qui multum possidet ipse;
Cui paucis opus est, ille beatus adest.

Non est infelix, licet omnia cetera perdat,
In cuius nam animo spes bona vivit adhuc.

Non illic habitant et perstant gaudia vera,
Si non pax ea dant ac pia iustitia.

Hoc bene cognoscas: est gloria virgo pudica,
Noli instare illi, deinde comes tibi erit!

Est tibi septem annos una en regione manendum,
Noscere si recte et perbene vis homines.

## ZASTAVICA — AENIGMA

Igne super sum tosta levi, contrita dêinde
Ac tam subtilis fundor aqua domitum;
Esse nigram me scis coctam gustique libenti
Me delectaris — notane sum tibi? Dic!

**Valentin Orožen**

## LASTOVKI — HIRUNDINI

A nóbis frigidó iam vénto,
Hirúndo, férris, párvula,
Iucundo quae delectamento
Canebas mi de tilia.
Quottidie percara avis,
Cantabas mane dulciter
Et nocte tuus cantus suavis
Me soporabat mititer.

Nunc avis es me relictura,
Istudque valde mordet me,
Te boreae vis agit dura,
I, quo volare iuvat te!
Cur non est mi volare datum
Libenter comitarer te,
Sed locis hic est inculcatum
Cor méum miserábile.

**Fran Levstik**

## DVE OTVI — DUAE ANATES

Ádvolánt anatés duáe palústres
In lacum superadita sub arce;
Nant ibi per aquam simul remisse,
In frigus penetrant nitens silensque.

Specto sic anates duas deorsum,
Palpitat valide magis mihi cor,
Mente praeteritos vagor per annos
Et genae lacrimis madent amaris.

## PRVI POLJUB — PRIMUM OSCULUM

Sólitárius, héu, núnc recubó vigil,
Candelae mihi lux fuget et audio
Huc rotae strepitus usque molendini;
Dudum vicus et arx in requie iacent,
Circumque in domibus cuncta quieta sunt.

Dudum vicus et arx in requie iacent,
Caelestis requíes corde sit in tuo!
Clementes operi, cara, oculos tuos,
Supra te fluitet cum mea mens memor!

Primum a me data sunt oscula feminae
Hoc die tenerae vespere mitia;
Cum cupidine nunc gaudia dimicant
In me, protinus ut sumere cuspidem
Monstrandae cupidus laetitiae velim!

## ČEBELNI ROJ — EXAMEN APIUM

Examén apiúm ruít sonántum.
Sursum voce alcari volans strepebat.
Per nubes tonitrus tonat repente,
Dira fulmina conflagrant corusca,
Imbres praecipites ruunt frequentes —
Matre mox spoliatae apes sua sunt.

Voces tristiter absque matre reddunt,
Quam moestae studiose ubique quaerunt,
Et cum non valeant adinvenire,
In casu pereunt suo silentes.
Quod sincere adamaveram, iuventae

Iam ipsi mi quoque perditum est diebus
Quaerebamque dehinc diu salutem.
Dein se amplectier haud dedit mihi unquam!
Desperatio me flagellat usque,
Nunc miser dubitans vagor per orbem.

## POTNIKOV DVOM — VIATORIS DUBITATIO

Ego ípse sáepe in ménte méditabár mea:
  Quid agát viátor ádvena?
In orbe sunt multae viaeque et compita,
  Sed quis mihi—Quo—proferet?

Cum fert profundam in vallem iter me deviam,
 Non baculus prodest mihi,
Cum mi via est in editum, sudo means,
 Supra voraginem tremo.
O liberí pusíllanimés, quid vós grave
 Durumque iter sic teritat?
Animi vigór manu sagaci levigat
 Ubique iter quodvis sibi.

## SOVRAŽNIKOM — AD INIMICOS

(Carmen — ex parte)

Quae vósmet ágitis, cúncta pónderáveram,
Sed non tacebam, nam tacere nescio;
Est icta vestra sic mihi damnatio
Et ira, quae nunc extat a vobis mihi.
Ac nominasti memet ipsi vos c a n e m,
Quod esse vester non volebam ego c a n i s.

## OMNIA EVANESCUNT

Ádmodúm genus hóc humánum amábam
Atque amábam ego cúncta fácta díva.

Te, carissima, praeferens amabam,
Bellis praedita tu, puella, ocellis!

Nunc in pectore adest inane moestum,
Cum defloruit hoc meum cor intus.

Numquam consequier quit illud ullus,
Quocum aufugerat avolanter aetas.

**Simon Jenko**

## KO JE SONCE VSTALO — CUM SOL ORTUS EST

Cum sol flammifer ortus est recurrens,
Ei laudes tribuo celebrans valde,
Quod flores mihi lustrat in fenestra.
Sol ita est radians mihi locutus:

„Nec flores neque tu simul fuistis,
Cum terrae nitidos potens iacebam
De coelis radios meos refulgens.
Peribis velut udus interit ros,
Sed restabo ego, qui tuum sepulcrum
Lustrabo; retine, miselle, laudes!"

## CUM SOL ORTUS EST

(Eiusdem carminis altera versio)

Cum sol ortus est, ei
Laudes largiter dabam,
In fenestra quod meos
Flores lustrat enitens.
Tum sol almus ait mihi:
„Flos et tu fuistis haud,
Cum iubar meum potens
De coelis humo dabam.
Ut ros tu peribis, ast
Restabo ipse dein ego,
Lustabo tuam scrobem,
Laudes iam tene, miser!"

## GORI — AD MONTEM

Obsistis senio, mons, rigido et gravi,
Aetas non facie noscitur e tua;
Cum terris placidum ver rediit virens,
Persolvit iuvenem vim tibi pristinam.

Spectabas populos floridus et vigens
Crescentes valide aut exitio datos;
Te non sortis atrox vis tetigit ferae
Et nunc est iuvenile ut prius os tuum.

Cum functus fuero sub tumulo iacens
Et muscus viridis creverit insuper,
Utetur populus temporibus meus
Laetis eique dies certo hilares erunt.

Abs te tunc iterum in tegmine florido
Verno orbi dabitur grata salus tua,
Dic, mons, tum populo vivide ave meo,
Elatae subolis progeniei novae!

**Josip Stritar**

JABLANI — AD MALUM

Male, nescio, quando pulchrior sis.
Vere florea cum viges in horto,
Te sponsae similem libenter omnis
Spectat, namque oculis placens voluptas!
Autumno tua poma cum coquuntur
Et sub sole nitent virente fronde,
Obtutu tum oculi sat haud replentur.
Semper sidera sint tibi benigna!

SIROMAK — SENEX MENDICUS

Quidnam me, puer, adspicis stupenter?
Sum senex neque pol quidem venustus,
Frons rugosa mihi genaeque lassae,
Marcens sum miser atque semicaecus.

Possident homines domos et hortos,
S i l v a s prataque laeta, plaustra et agros;
Ast u r t i c a mea est viam secundum
Ac flos inter eas et hic et illic.

In vita patiebar usque dure;
Sub tectis aliorum eram quiescens,
Bruma me gelida sago tegebam,
Quod clemens mihi vir dedit carenti.

Mendicum, puer, hic vides egenum,
Utentem misera malaque sorte;
Me supra manet ,en, salus benigna,
Gaudiis ibi ego fruar in aevum!

SMREKI — AD PINUM

Pulchra, pinus, arbor es,
Pulchra, Maius cum nitet;
Et cum te nives tegunt,
Nonne nostra lumina
Spectant te lubentia?
Orbe cum flatus fremit,
Horrent cuncta frigore,
Arbores sunt ceterae
Nudae, tu vires vigens.

**Simon Gregorčič**

## SAM — SOLUS

Illi vae, quisquis solus sic transigit aevum
Rebus in adversis, at non est ille beatus,
Qui solus fruitur felici prosperitate!
Si tibi de coelo, mi frater, sunt data multa,
Non a fratribus avertes oculos generosus!
Nobilis aerumnos animus solus feret usque,
Utetur sed numquam solus sorte benigna.
Munificus sis atque tuos sensus aperito,
Leni moerores miseris luctusque repelle,
Absterge fratri lacrimas, solare dolentem!
Sed rebus solus fruitur quicumque secundis,
Ille etiam lacrimas lugens effundito — solus!

**Fran Cimperman**

## NEBO OBLAČNO SE ZJASNI — NE SPEM AMITTAS!

Nubibus obductus purgatus redditur aether
undaque limpida fit, turbida cuncta prius.
Post tenebras tristes clarum iubar emicat axe,
temporibus veris solvitur acris hiems.
Spem ne perdideris, noli demittere mentem,
si cor tristitiae pergrave portat onus!
Non furvae possunt semper remanere tenebrae,
gaudia succedunt luctibus atque malis.

**Anton Aškerc**

## TRIJE POPOTNIKI — TRES VIATORES

Ecce viatores gradiuntur tres iuveniles,
incedunt trita plana per arva via.
Ver visit terras et frigora abegit acerba,
innumeros flores fundit humus varios.
„Valde terra decens!" a primo magnificatur,
„quae regio est mundi par tibi, quae similis?"
Alter ait: „Mihi tu patria es carissima sedes,
tu paradisus alens, nostra Slovena domus!
Sed populus tuus est terra mihi carior ipsa,
gens mea, quae sollers haec loca grata tenet."
Tertius est tacitus. Curnam lacrimis rigat ora?
Quid parit has guttas: laetitia anne dolor?

## Fran Saleški Finžgar

### T R I G L A V

Triglav! Ut celerantque volantque dies properanter,
Ut nobis rapide fugit irremeabile tempus,
Plagas quod sanat populi spargitque recentes,
Nemo mane novo iam scit, quid vespere fiat!

Triglav! Infligit tibimet quoque vulnera tempus;
Insculpit tibi iam sulcos in fronte profundos,
Supra quos saltant gelida cum nive procellae;
Rupes praecipites feriuntur grandine dira.

Triglav! Attamen haud metuis tu tempestates;
Nempe placent tibi cum plagae tum fulmina saeva.
Elatus nobis memoras vim turbinum iniquam:
„Me frustra tristes illidunt ecce procellae!"

Triglav! Sicut tu, talis gens te prope vivit:
Et dolor atque iniustitiae sulcant faciem eius
Duram; saepius ei spinas fortuna maligna,
Sed raro flores in vitam spargere suevit.

Ast tolerat gens sublimis fortisque dolores
Atque mali calices constanter gustat amaros,
Omnibus in damnis animo non deficit umquam,
Cum bene noverit in mundo finirier omne.

Hoc mihi de populo chordae cantent resonanter,
De populo, cui cor mite est, natura benigna,
Sed faciem rigidam monstrat duramque severe:
Triglav mons, facies et cor sunt quam tuum utrumque.

## Fran Ksaver Meško

### J E S E N — A U T U M N U S

Luna noctivaga arbores colorat
Argenti radiis suis coruscis,
Mundum somnus habet profundus omnem,
Caelestes rutilant domús in astris,
Autumnus graditur madens per orbem.

Mors iam adfert foliis manus atroces,
Audi, sic ideo strepunt dolenter,
In noctem resonat melos magis iam
Sedate; moritur dehinc querenter.

Cogitans ego claudo mi fenestras,
Autumni me agitat gelu reflatus,
Tergo mi lacrimas genis utrisque
Autumnus iam etiam mihi ipse venit.

**Ivan Cankar**

## VEČERNI MRAK — VESPERTINA CREPUSCULA

Véspertína crepúscula
Expandunt chlamidém nóctiferám suám,
Per templi tenebras preces
Coetus volvit in hac pace recondita.
Ast in corde meo quies
Haud est, quomodo nempe esse potest mihi?
Quis desiderii mare
Mi sedare sciat, quis moderarier?
Non altare oculi mei
Spectant, quod tenebris undique tegitur,
Eius sunt oculi duo,
Aurorae geminae quale decus beans!
Quae non eveniunt, in his
Optatis facile haud adspicere est diem;
Quantumvis ego non amer
Abs te, nil volo iam continue pati.
Tete amplector et osculor
Ne non mi manibus mollibus in tuis
Extinguatur hic igneus
Aestus saevaque vis pectoris exciti . . .
En altare micantibus
Splendescit nitide luminibus dein,
Templo suaviter organa
Voces eliciunt magnificantia.
Mi visum est quasi concinant:
„Submissi genibus corde precamini,
Etsi cor refugit dolens,
Coelo ferte preces ac patiamini!"

## NOČ PRIHAJA — NOX VENIT

In conclave meum venit quietum
Nox et deficit ante me lucerna,
In mensa trepidatque flamma segnis,
Nox fessum iam init in meum cor atra.

Lente parietibus levantur umbrae
Macris cum faciebus albidisque
Et spectant me oculi cave profundi
Ac manus mihi mortuae propinquant.

Iam mihi macies minans genarum est,
Factus est animus meus inanis;
Omnes divitias meas profudi,
Spiritum vacui meum hunc ad imum.

Nunc hic maxima adest gravis ruina.
In mensa perit ante me lucerna,
Me spectant oculi cave profundi
Ac manus mihi mortuae propinquant.

## TO JE BILO DAVNO — AT PRIDEM FUIT HOC

Stellis innumeris fulgidus est polus,
De clivis placide flat zephyrus levis,
Hae desiderium sensile roridae
Exhalant tenebrae vagum.

Coelo somniat, en, luna silentio,
Et mundus tacitus somniat inferus,
Optem gratificantem hunc ego vesperum
Centum saecula somniem.

Ut mire facies hoc tua vespere
In lunae radiis sic placite nitet,
Ut dulcis, penetrans est mihi fabula
Aspectus magicus tuus!

Hic es tu prope me, bella venustaque,
Circa nos tacitus hic paradisus est . . .
Quam tum cor tremulum quamque beatum erat
Illo vespere, cor meum! . . .

At pridem fuit hoc, iam fuit hoc diu
Et numquam remeat, non remeabit hoc.
Nunc autumnus adest; nubila me super
Tempestas agitat furens.

Solus, sollicitus progredior via . . .
Num tantummodo sunt somnia mi vaga?
En istic Helene! . . . Sed memor haud mei est
Ac me praeterit anxium.

### O MRAKU — EN CREPUSCULA SUNT

En crepuscula sunt. Sedens in horto
Stellatum aspicio polum recurvum
Atque ex corde melos nat ad puellam
Illuc, terra aliena ubí remota est.

Illic, terra aliena ubí remota est,
Nunc puella mihi adstat ad fenestram,
Longe spectat et audit ac madescunt
Eius lumina rore lacrimarum.

**Oton Župančič**

### SKRIVNOSTNI MOJ CVET — TU MI MYSTICE FLOS

Tu mi mystice flos, o rosa praepotens,
Te quaerens ego tum praeterii, simul
Te viso, tremui, pectora vim tuam
Arcanam et magicam percipiunt mea.

Et tum cor placite sensit ovans meum
Noctem iam fieri clarificam dehinc.
Thesauri innumeri pectoribus meis
Florent corque meum te cupit appetens,

Tu mi mystice flos, o rosa praepotens . . .
Dives nempe ego sum, sum locuples opum —
Auxiliare mihi subveniasque mi
Tecum attollere opes ex anima mea!

### NAJ KODERKOLI SEM HODIL — QUAVIS MEAVERIM

En ubivis fuerim quavisque meaverim in orbe,
  Prorsum ubi dicebat cor genuinum hominis,
Hoc cor semper percipiens adgnoscere quibam:
  Una tristis eram sic hilarisque simul.

### VETER OD MORJA — A MARI VENTUS LEVIS

A mari ventus levis —
Ros cadens de betula est,
Cara somno solvitur,
Martha bella quae mea est.

Cara somno solvitur,
Solvunturque flosculi.
„Salve, Martha", nobilis
Hanc salutat ros maris,
Sed ruber dianthus, en,
Vergit usque ad huius os.
Ut forem dianthus hic!

## KANGLICA — SCYPHUS

Ierat petitum vivam aquam puellula
Scyphum ferens argenteum.
Aurora splendet in polo praenuntia,
Nemus sonat volucribus.
Se fraga praebent, ecce, cocta, mollia:
„Gressum parumper comprime!"
„Salvete, cara, fraga, tam rutilantia!
Sed frater aegrotat meus;
Cui priúsquam egómet aquám portavero
Ex fonte, non sanus erit,
Lymphas prius haurire fontis debeo
Non sole oborto lucido."
Tum gelidam aquam puella fontis hauserat,
Alacriter domum volat.
Ierat petitum vivam aquam puellula
Scyphum ferens argenteum.
Domum revertit diligens puellula,
Est factus aureus scyphus.

## HREPENENJE — DESIDERIUM

Sáevit immitis boreas in valle,
Admodum longe mea abest puella;
Ut volem, pennas mihi des, procella,
Obvius illi!

Sol in excelsis nitidus vagatur,
Admodum longe mea abest puella;
Aureos da, sol, mi oculos, ut illam
Trans iuga spectem!

## ZALJUBILO SE SONCE — SOL AMORE CAPTUS

Sol amore captus est
Annae virginis trucis,
Sic amore incensus is
Tres ad hanc misit procos.

Primi erant-aves-proci.
Anna captat hos procos.
Alteri proci-rosae.

Has complantat Anna mox.
Tértií-radií-proci,
Solis aureum iubar.
Haec fenestras obtegit.

Haec fenestras obtegit,
Heros ipse ego puer
Annam amavi intus morans.

Praepetes hic concinunt
Et fragrant rubrae rosae,
Spectat introrsum iubar,
Scilicet — qui nam heros est!

## SKOZ TELEFON — PER FILUM AENEUM

Aeneo filo tenerum os vocat;
„Illic Župančič est dominus, precor?"
„Hic est." Rogo tum, quid velit me.
„Stas ibi re? Ciciban tuusne!"

Ovatur illo ex gutture parvulo. —
„Quid, parva, vis?" „Abs te volo canticum!"—
„Iussu sed haud reddi potest hoc!"
„At mihi mortua mater est, scis!"

„Sic? Corculum idcirco miserum, veni
Carmen petitum!" Nunc misero mihi
Manus inanes turbido sunt;
Munus in corde meo est acerbum.

Quae morte matris, parvula, congemens
Fles atque in acri tristitia tua
Te cum fide convertis ad me,
Heu, dare num valeo, quod optas?

Olim poetis eximiis datum est
Molirier muros fidium sono,
Meo melo sedare fletum
Non datur hic miserae puellae . . .

## ZDRAVICA — PROPINATIO

Circum nos tenebris nigris obortis
Facto lumine quispiam est locutus:
„Fulvum porrigitur merum, sodales,
Nobis en generosum in vase pleno;
Ne simus memores molestiarum
In praesens, procul esto, quod premit nos,
Tollamus calices iubarque contra
Spectemus per eos: dies fit ecce
Nobis aureus atque luminosus!"

**Josip Murn Aleksandrov**

## KMEČKA PESEM — CARMEN RUSTICUM

Pulchra vestra, en, area,
Ac domus pulcherrima,
Pulchra mensa candida,
Isidorus hac super.

O puella bellula,
Isidorus te pius
Ac domum custodiat
Pulchram et aream tuam!

Vivat et pater tuus!
Ex cella fragrent tua
Pyra, dotem computa
Plus dies noctesque tres!

## NA HOLMCU — IN COLLICELLO

Quando habes tu tempus, heus,
Cum rosis ad me veni!
Cum rosis post cingulum
Ad nos mane tu veni!

Fervido veni die
Vel tu vesperi veni
Sive nocte nubila!
En, mihi usque tempus est.

## S CVETKAMI ŠEPEČE — MURMURAT CUM FLORIBUS

Murmurat cum floribus
Ventus in campis levis,
Ludit et cum fluctibus
Per superfusum mare.

Navis altum per mare
Per tumens tendit viam,
In campo puella mi
Commoratur in casa.

Commoratur in casa
Cara, ut ales concinit
Meque aurora commonet
Eius mane, vesperi.

## ŽALOST — TRISTITIA

Dulcis o felicitas,
Dénuó mihimet abés,
Rursus lacrimae cadunt
Acres nocte roscida...
Ut procul stat stellula
In polo dilucida,
Sic profunde tristitas
Hoc subit cor intima.

## POJDEM NA POLJE — IN CAMPOS PROPERABO

In campos patulos atque in montes properabo,
In montes virides sursum ubi sol oritur.
Ab oriente velim nec non contra proficisci,
Ut quaeram, quis sit frater in orbe mihi,
Nunc novi, quae scire velim: sol est mihi frater,
Sunt fratres oriens et locus occiduus.
Est postremus cór frater vero hoc sine spe mi,
Tales sunt fratres, est domus ampla simul.
Non quit perspicier, verum hoc me dicere oportet:
Cum tot et tantis vivere difficile est.

## ZDAJ TE NI, LJUBICA — NUNC ABES, AMATA

Dianthos in agris satos gerebam,
Tam rubros velut est cruor rubescens,
Germinabat amor meus diebus
Aestivis valide vigens et ardens.

Nunc non, sol radians, ades, serene!
Nunc silenter ager quiescit almus
Ac sunt arva resecta falce nuda.
Iam nubes fugiunt procul volucres . . .

Nunc abes peramata mi puella!
Ergo ubi inveniam iam in orbe pacem?
Non ades fugioque nunc quietem
Vitaturque otium mihi misello.

Ac foras fugio remota in arva,
Usque longius et procul recedens,
Illic audio me latenter ipsum,
Memet et sine fine tristitatem.

## TAŠČA POZDRAVLJA SNAHO — SOCRUS PROPINAT NURUI

Heus núptiáles hóspités, quo ténditis?
    Non nosco vos omnes enim.
Videmini ire vos profecto ad nos mihi
    Simulque cum nupta nova.
Hac in caterva sponsa, quaeso, quis adest?
    Quae plurimum, certo viget!
Hoc tu mero satiare propinans: Dato
    Deus bonos nobis dies!
En sponsa nostra, pandimus tibi domum
    Cellae patent et horreum.
Cuncti bibunt adestque gaudium beans
    Ternos dies cum noctibus.

**Alojz Gradnik**

## S I N U — A D F I L I U M

O fili, sine tete ego quid essem?
Fons, ex corde meopte, parve, fossus,
Accendit mea, parva fax, manus te,
Radicumque mearum amabilis stirps!

Gemmabo usque etiam orbis ex profundis,
Cum iam dormiero suprema somnia,
Cum nemo scierit meum sepulcrum,
Vitae mentio tunc eris meae tu.

Essem tum sine tete flos caducus,
Gutta halata levisque, quive fructus
Perit solus et orbus in recessu.

Tecum iungor ego perennitate,
Flos tuís iter et tuum refert mi:
Omne transitus est et haud adest mors.

## ŠKRJANČEK — ALAUDULA

Ád nubés alaúdula,
En, volavit edite.
Inde agrestibus vocat:
„Heus, profunde arate, vos!
Nunc arate, vos viri,
Seminate triticum,
Ut coquatis tempore
Brumae liba dulcia!"

Advolat alaudula
Tum deorsus ad solum
Et fritinnit vivide:
„Heus, arate, vos viri,
Fódite, fóssorés, simul,
Nunc arate, fodite, vos,
Et datote quid mihi,
Quándo hilarés autumno agri
Demetetis munera!"

## V I Z I J A — V I S I O

En diés veniét, Ljubljána, cór cum
Sácre et, út minime prius, furenter
Ira accensum erit; haec sonum minacem
Et iubam arrigit in leone, quando
Venatór in eúm ruit citate.

Per pagos loca perque, sicut olim.
Atque per iuga montium nitentes
Ignes in patriam pericula indicabant.
Cordi cor dabit apta et aequa iussa.

Cordi cor: „Agedum esto forte!" dicet.
„Non est vivere opus, nos demit herbis
Falx, si ros sumus, haud, adunca terrae".
Et tormenta, catenae et arma dura

Tum strepent gladii et truces sonabunt,
Sanguine ultima scripta linearum
Nostrae sortis erit per ista pravae.

## NAŠA ZEMLJA — TERRA NOSTRA

Rómanós egomét vidi híc cohórtes
Et vastata fui feris ab Hunnis,
Per me túrmae Avarúm vagae ruebant
Atque Marcomanum et Gothum catervae
Nec non agmina sera Langobardum.
Me delebant, at haud securis atrox.
Fregit, fintimi Veneti avari
Habsburgi neque crux, flagellum et ensis:
His cunctis tumulus fuit sepulcri
Tantum a mepte paratus atque apertus.
Solum omnes alimenta mi fuerunt,
Ut nutrirem ego vos; satis bibebam
Tot vestras lacrimas graves cadentes
Súdorémque simúl ego ípsa scissa,
Ut darem patrium focum domumque
Vobis et mea rura larga adessent
Vestris hostibus omnibus sepulcra.

## IZ GLOBOČIN — DE PROFUNDIS

Mepte falx non messuit,
Ut ros mane ego fui,
Solis ardor quem bibit.
Orbis haud sum res adhuc ,
Nunc rosa haud sum nec lapis,
Solum flamma lucida,
Cara, care, sum tibi.

## NOČI — NOCTES

Noctibus his cunctis, his moestis noctibus usque,
Quando cum nullo polleo quid loquier
Et mecum modo sunt lunae radii taciturnae,
Exspecto fessis te cupiens oculis.

Sed cum lux oritur nec tu mihi ades, tamen optem
Ut sit lugubris haec perpetue mihi nox,
Namque meum solari tantum nocte nigranti
Vanis commentis cor valeo miserum.

## MORS VICTRIX

Vidi vere novo iam faciem tuam:
Privabas cerasos tum fera floribus.
Sensi te aestifero tempore denuo:
Stridebas, quaterent cum sata grandines.

Nunc autumnus adest. Semper abhinc eris
Nobiscum celebrans munera pampini;
Ex ramis rigidis frigore ubique sunt
Abs te iam positae funereae cruces.

**Lili Novy**

## LADJA — NAVIS

Ut navi veheris: per maris aequora
te fert vita sali limitis inscium.
Se condunt nebulis pone manentia,
velantur pariter, quae ante oculos habes.

Exstant nota tibi, quae modo sunt prope:
delphin, unda tumens, sol radians, larus
et nubes in iter iam tibi turbida
atque irata iacit tela minantia.

Quondamne advenies litus ad hospitans?
Attingesne plagas, quas cupide petis?
Frangetur scopulis navigium tuum?
Nescis: cingeris en undique fluctibus.

Luctus transierint vel tibi, gaudia
ac felix maneat te hora vel aspera,
nautae navis iter conficit optime,
qui corde est hilari, qui valido simul.

ZVEZDA — STELLA

Stella corusca viam metitur pone fenestram.
Sum devecta domo morbida quando mea?
Aegroti hic ubi curantur, iacio patiorque,
Non procul abs tumulo, nec procul a carie.

Per caeli convexa viam facit albida stella.
Quaero: Quo via fert? Estne salus, obitus?
„Spem fove!" vox arcana silentii anhelat inanis.
Stella etiam effulsit delituitque oculis.

**Igo Gruden**

TOŽBA — QUERELLA

Cur est tristis amor dolensque?
Nempe memet amas, amaris a me;
Cum vero „Tua sum!" mihi susurras,
Cur tibi lacrimis rigantur ora?

Solanti „Melius iam erit, puella!"
Cur haec vox aliena mi videtur?
Floridum meus est amor viretum,
Cornices super hoc volant sinistrae.

**Janko Glazer**

SPOMENIK PADLIM BORCEM —
MONUMENTUM IN ARMIS PRO PATRIA PEREMPTORUM

Pugnarum monumentum hoc est, quod hic stat,
Et palmae, socie, atque victimarum,
Sta nec non memor esto mortuorum!
Quae sunt magna, oriuntur hostiis ex.
Vivus debitor ipse mortuis es.

BALADA O NJEM IN O NJEJ — FABULA DE EO EAQUE

Laesit eam primum, quaré tum ea flebat amare.
Est namque is iuvenis, est ea tam iuvenis:
Atque ita talia cuncta apte superavit uterque.
Et laedebat eam saepius atque iterum.

Propterea patiebatur multum, sed amabat
Is quidem eam nec non nempe ea amabat eum.
Ast ea iam olim non flebat, non iam lacrimabat
Ac sine sensu tunc aspiciebat eum:
Fluit ei tum miserae crudeli ex vulnere sanguis,
Eius tum fractus mortuus est animus.

## DOMOTOŽJE — PATRII SOLI DESIDERIUM

Tota mente velím vadam illúc, ubi fagi
Solae stant nostrae frondiferae patulae,
Per frutices illuc solos virgultaque nostra
Perque remota iugi vadere prata velim,
Illac acris cum redolet sic arnica fragrans.
Discumbam laeto gramine ibi in viridi
Atque omnes maestas ibi mentes abiciam tum
Nec non his dicam: Iam valetote dehinc!

## MATERI — AD MATREM

Vidi tuás palmás hiúlcas quás labór
Callis frequens infecit usque ad sanguinem:
Cor audiebam palpitans, quod cor tuum
Patiéns erat, numquam quidem memor sui,
In mente vérum aliós habebat cor tuum,
Aliis suas vires terens et dissipans.

Ancilla Dómini, sérva amoris, sedula —
Quis ósculábitúr sacras manus tuas?
Est vita túa diés negotiosior,
Plenus labore, praemium verum tuum
Oblivio est, pauper sepulcrum tantulum.

## KO PADA MRAK — CREPUSCULO CADENTE

Dá mihí manúm tuám
Ut capiám silens eam
In meas manus duas
Utque abscondam eam, quod est
Omnis, omnis iam mea
Atque hoc haud materculae
Est sciendum adhuc tuae...

**Jože Pogačnik**

V MRAKU — CREPUSCULO PENDENTE

Assedi prope lassus ad fenestram
Et velum leve pendulum removi,
Ad vitrum faciem meam applicavi
Et dixi: Patula ulme sub fenestra,
Mecum coeperis, ulme fac loqui nunc!
Nubes crispa levisque, fabulare
Nunc, in monte vagans, amabo, mecum!
Pandi late animi fores dolentis.
Ulmus non strepuit sonumque non dat,
In coelum aspicit usque continenter
Ac nubes vaga ludit alta porro.
Quid curat vaga nempe nos in altis?!
Ex vitro facies ita intuetur
Me tantum mea fuscior gravisque.

**Mile Klopčič**

VSAKDO-GOST — OMNIS-HOMO-HOSPES

Difficile est tete esse probum, tam simplicem et aequum,
Omnis namque hospes ut tuus esse queat.

TRI OTROKOVE ŽELJE — HAEC TRIA COR CUPIT

In palma tria sunt calla patri meo.
Nunc miracula cor sic tria mi cupit:

Callum primum habitum fiat id aureum,
Ut nam hortum coemam condecoratum eo,
Ut carus genitor illum adeat meus
Omni vespere ibi pace quiscere.

Dein id callum aliud flos nitidissimus
Evadat redolens in viridario,
Ut mirans stupeat, cum remeaverit
Languens ex operis, tum genitor meus.

Callum risus ovans fiat id ultimum,
Quem nam huic suppeditem, qui pater est mihi,
Quamque optem, genitor rideat ut meus,
Ac videre patrem saltem hilarum semel!

**Leopold Stanek**

## BOLNIK — AEGROTUS

Iam fugite, o nubes, modo per caelum, procul, atrae,
Pone fenestram vos hinc oculus sequitur!
Vos cito cum ventis volitatis calle soluto,
Ast haerent lecto morbida membra mea.
Iam tristes properate rates nec non fugite, ut mox
Existat post vos caerulei spatium!
Caerulei clari spatium breve lumina spectant —
Crescit vis aegri corporis atque animi.

## NOVI GROBEK — TUMULUS NOVELLUS

Scrobs haec alta erit nimis
Pro puello tantulo,
Qualis tu es! Manus tua
Certe parvulas magis
Excavabat inque eis
Obtegebat calculos
Nec mortem timens erat.

Dormis somnia intuens,
Clausus — haud scis — flosculus,
Quid sit orbis quidve mors.

## MAJSKA — MAIUS ADEST MENSIS FLORENS

Maius adest rursus mensis florens redolensque —
Pomarium videre ego valde aveo patrium!
Cum peregre vasi vidi non amplius illud,
Me illuc reduxere haud pedes tempore florifero.
Cur ita, cur aveo cupioque illud mihi multum?
Ipsum unde cordi est tam mihi suaveque praecipue?
Hortus nonne in floribus est aequabilis omnis?
Multús stupéndus flóreús lúcus in órbe vigét! —
Pomos mirifice certo florere iuvabat
In vere mi dulci meo tunc hilari puero —
Ebrius, ah, quam lacte magis tum, credo, decore
Fui, meus non cessat hunc quaerere namque animus,
Amplius haud ego quem possum nunc conspicere usquam,
Incassum adhuc desidero, frustra adeo cupio.

**Vladimir Pavšič—Bor**

## NOCOJ ME NE BO — VESPERE NON ADERO

Certe vespere non hoc adero die,
Vinum nectareum me maneat nigrum!
Cor namque afficitur sic hodie meum,
Ut silentia me prorsus inebrient.

Solitudo silens atque ego — nos duo
Terminum simulac fecerimus, dehinc.
Cor vadet vegetum atque omnia largiet,
Solitudine quae tunc data sunt ei.

Quando adis homines, ex oculis tuis
Caeli caeruelum splendeat admodum;
Quando adis homines, vox hilaris tua
Esto, sicut aquae sunt strepitus leves.

Quando adis homines, omnia sint tua
Semper verba velut pocula cum mero!
Quid tecum referas, quidque homini trucem
Des amaritiem et tristitiam gravem!

## LUŽA — LACUNA

Sic dixit quondam vaccae non magna lacuna:
„En solem nitidum, vacca, mihi rapui!"
Bucula tunc adiit propius nec non simul omnem
Hic cum sole bibit lenta lacus laticem.

## BRAT SONCU — SOLI FRATER

Per te redditus est totus latissimus orbis
Tam magice pulcher, splendidus atque novus,
Tamquam si, ductus longis erroribus, essem
Appulsus laetorum in regione deum.

Tamquam si fessis pedibus tersus mihi pulvis
Esset, qui situs est in spatiis hominum,
Sic habeo me nunc, et ut essem si deus ipse,
Caelis et soli sideribusque frater.

Atque sedens tecum in numero divum velut essem,
Qui nobis geminis optima quaeque darent,
Sed tamen arridens illis hic editus adsum,
Nam nos non superi sorte bona superant.

## ODŠLA JE DEKLICA — DISCESSIT VIRGO VENUSTA

Caeruleis oculis discessit virgo venusta,
Ista abiit prorsus, non mihi iam remeat.
Quantumvis istam maneam noctesque diesque,
Proh dolor, evasit nec mihi iam remeat!
Caeruleis oculis virgo discessit amoena,
Sidera post istam tunc abiere simul,
Quamvis illa vocem retro noctesque diesque,
Discessit virgo caeruleis oculis,
Accendentur post iterum iam sidera numquam,
Caeruleis oculis virgo venusta abiit.

**Rado Bordon**

## V PARKU — IN HORTO PUBLICO

Autumno solus gradiebar publico in horto.
Ascendo scalis nescio quid meditans.
Audio tum strepitum, quem mittit serica vestis.
Obvia mi facies, en, speciosa venit.
En, eiusce comas lenis movet aura puellae,
Refulgent oculi lumine solis ei
Obutusque eius paulisper me attigit ipsum,
Pes eius prope me praeteriit volucer,
Ut flori solis tum inclinatur caput eius.
Uxoris puerae et — hoc ego dico mihi —
Témpore, nátúrá decus interit atque aboletur,
Indicium nullúm út maneát decoris,
An, quoque blandos hos oculosque supercilii arcum
Vermes corrodent immiserabiliter.

## POSLEDNJE PISMO — ULTIMA EPISTULA

Haec epistula sit tibi ad memoriam,
Suavis, hoc speculum mei dolorum!

Nunc in praeteritos dies putando
Sunt vestigia adhuc amoris ad nos;
Non sunt omnia mutuo relata,
Quamvis tunc valedíxerímus ambo.

Namque in imagine propria, en, erunt tum
Vultus et tuus et meus prolati,
Quando in tempora, quae fuere pridem,
Post annos reputabis evolutos.

Nempe ex corde meo venit profundo
Sensus edomiti superstes echo;
Haec epistula reddita in dolore,
Suavis, sit tibii semper ad memoriam!

## VRNITEV—REDITUS

„Post annos malos, truces,
Fili, denuo domi es!
Certo bellum ad exitum
Venit atque mrndus est

Filiús tacét modo,
Vultum vertit ad solum.

„Filius minor ubi est meus?
Natus ille ubi mihi est?
Vexat me dolor furens,
Cur apud te non is est?"

Fíliús tacet modo,
Vultum vertit ad solum.

Vultum texit in manus:
„Vaé mihi, ípsa mállem egó
Interissem nam prius!"

**Gema Hafner**

# CARMEN

## AD ANNIVERSARIUM SAECULARE INSTITUTAE SOCIETATIS CRUCIS RUBRAE CELEBRANDUM

## NA PRAPORIH RDEČI KRIŽ — IN VEXILLIS CRUX RUBRA FERETUR OVANS

In campo pugnae prope Solferino cruentae
    Ecce viator stans incomitatus adest
Desperatioque ex oculis ostenditur eius,
    Pectora solliciti trux premit ima dolor.
Quo fert conspectus, cernuntur vulnere laesi,
    Corpora caesa iacent quadrupedum atque hominum.
Fracta vides tormenta metallica scissaque signa,
    Currus destructos, gramina sanguinea.
Miles non est amplius hic, hic est homo tantum,
    Ictum cuius abhinc est nota vulnere cor.
Ecce tegit Dunant Henry sibi lumina palma,
    Corvos caedentes vulnera ne videat.
Clamores resonant terra caeloque tremendi,
    Cum corpus laesum cumque manus trepidant;
Iactantur sine vi frustra clamantque vocantque
    Laesi vulneribus, verum homo nullus adest.
Quaevis usquam parvula avis queritur miseranter,
    Chordis gramineis tristiter aura strepit.
Iunius in campum sol lucet terrificantem,
    En corvi volitant mors sua sceptra tenet.
Hic homo adest nusquam clemens?. Homo, scutor, ubi sis,
    Cum frater moritur, quaero gemens, ubi sis.
Non, homines, est cor vestrum surdum rigidumque.
    Haud est! Nempe ibo quaerere vos egomet. . . !
Horribili tum Henry Dunant in mente videbat
    Hora mille bonas mille manusque pias:
Usque manus hae praestabunt clementer amorem,
    Crux in vexillis rubra feretur ab his.

Maribor — Ljubljana, 1963

## DOBROTNIKOM KRVODAJALCEM — IGNOTIS AMICIS BENEFICIS

Vitam, largitor sanguinis, asservas,
fraterve sororve servator,
sanguinis alme dator!

Vitam, thesaurum hunc donatum, quae unica gaza
Certe haud paucis est, optime munifice,
Tu miseris frater, largitor sanguinis alme,
Ignote, asservas sanguine nempe tuo.
Quot, scisne, usque manus cupide tua brachia quaerunt,
O quot corda vocant usque tuum cor amans!
Atque oculi, qui animum gratum monstrant, lacrimosi
Ad te se vertunt, ut rosa solis ad hunc.
Forsitan ignotis occuris et obvius es tu,
In quorum venis ipse tuus cruor est,
Quis ita factus eras igitur fraterve sororve,
Quos quia 'non noscens' dilligis atque adamas.
Misisti quibus imprimis donum pretiosum
Cumque cruore tuo tu datus ipse es eis.
Es magnus, scito, sine nomine tute homo parve,
Servator, miseris sospes in exitii!
Infortunia crebra instant cunctis velut umbra
His vitae gradibus, prospera quam fugiunt
Et quam damna premunt ac raro gaudia visunt
Atque periculum adest semper ubique minans!
Mors properat sequiturque vehicla vel insidiatur
In montis barathris inque voraginibus,
Cum fremit in terrae gremio, mors arrigit aures
Victrix, cumque domos saxa ruunt placidas,
Bella vorant cum hominum mediocrem prosperitatem,
Qua fruier nequeunt, pacis opis cupidi.
Audit sed cor mite tuum gemitus strepitusque
Es vitae socius, sanguinis alme dator!
Sanguis, scito, tuus mortem praecurrit iniquam
Atque cruore tuo pristina vita viget . . .
Vere amor iste tuus finem et discrimina nescit,
Sol ut ubique domi, sic amor iste tuus . . .

Maribor — Ljubljana, 1970

## SONCE ŽIVLJENJA — VITAE SOL SPLENDIDUS

Božidarju Borku v spomin — In memoriam Theodori Borko

Párva Gomíla supér collém, en vícus amóenus.
  Súnt vinéta velút pánniculí viridés.
Dísperse híc illic est insula lucis et umbrae,
  Hae prati viridis frondis et arboreae.
Sed mox ob morbós et ob aérumnis ibi vitae
  Eius, eheu, risus, delituit pueri.
Ac desiderium flammas accenderat acre
  In moestis oculis mente vagante procul.
Visorum somni res ípsa reciderat alas,
  Ad solámen eí sérmo liberque fuit.
Extitit usque l i b e r, v i t a e s o l splendidus ipsi,
  Lúcis eí sedes, insula pacis erat.
Et liber eius vulneribus tam balsama grata,
  Fomentum placans aúxiliúmque animó
Mólle cor ét tenerúm sicut mimosa modesta,
  Quae se tactus vi contrahit atque plicat,
Vél conchýlium, quód lacrimám — gemmám tacitúrno in
  Désertó maris éx vúlnere fórmat aléns.
Étsi splendescít miré pellucida gemma,
  Sáepe omíssa iacet pulvere sparsa latens.
Atqui spem victóriae amárae cognitiones
  Nón deléverúnt íngenii íngenui.
Ei neque restinxére fidém mundi melioris,
  Sic nec amoris spem nec bonitatis item.
Éuropénsia nóbilia árgumenta librorum
  In linguám patriám vertit — opús placitum.
Annos per multos se dilargibat opime,
  Mentis opes tribuens omnia non tribuit.
Indictae voces sunt ípsi animó remanentes
  Sic velut Átlantís ábdita sub pelago.

## ADNOTATIONES

ad versus In memoriam Theodori Borko

Borko natus est a. 1896 in vico G o m i l a circiter sex chiliometra ab oppido Ljutomer ad orientem et meridiem versus sita, et quidem non procul a locis Kog et S. Bolfenk ad marginem orientalem vitiferae regionis S l o v e n s k e g o r i c e. Ultra 70 annos mire strenuus fuit cultus et humanitatis chronographus atque magna varietate et copia in

suis studiis. Post II bellum mundanum moderator fuit in domo editoria 'Cankar' usque ad muneris vacationem. Pro tali industria non semel insignibus laudis et comprobationibus honoratus erat. Pimus ac per multos annos praeses fuit Societatis Sloveniae interpretum litterarum elegantiorum nec non aliquot annos eiusdem Societatis praeses h(noris) c(ausa). Ipse interpres multarum linguarum peritus Italici polyglotti Aloisii Salvinii animum studio litterarum Slovenicarum inflammavit, ita ut carmina melica e Slovenico in Italicum sermonem verterit. Anno 1962 editus est liber eius NA RAZPOTJIH ČASA (In temporum compitis). Quae sunt subtiliter perceptae itinerum descriptiones atque considerationes de cultu et humanitate Europae poetice designatae. Anno 1971 editus est liber SREČANJA (Occursiones), considerationes iucundae ac suaves in congrediendo imprimis cum insignibus artificibus Slovenicis et aliis praestantibus hominibus. Fiat tantum ex hoc libro mentio Colloquii cum Antonio Sovre, professore et insigni interprete litterarum linguae Graecae et Latinae. Hic Borko firme ad probandum profitetur: R e v e r a i n n o b i s q u o q u e v i v i t a n t i q u i t a s. Borko mense Decembri a. 1980 in urbe Ljubljana de vita decessit.

**S. Kopriva**

## MISLI — SENTENTIAE

„Ut des, do" vita est, aliter deluderis usque
Et solus es nec non homo miser simul.

Ut de conchyli de corde est: Quo mage vulnus
Grave est, eo fit margarita pulchrior.

Quando homo fit melior? Cum quaerere iam incipit ille,
Quam margaritam in pulverem reiecerat.

**Lojze Filipič**

## LEPO DREVO IN GRDO DREVO — PULCHRA ARBOR ET ARBOR TAETRA

Taetrae pulchra dat arbori decorem,
Taetrae pulchra suos flores dat arbor,
Gratiam quoque taetrae pulchra praebet.

Pulchrae taetra dat arbori susurrum,
Pulchrae taetra dat arbor foeditatem,
Pulchrae taetra dat et vicinitatem.

Sic et pulchrior est, quae pulchra quippe
Arborem prope taetram crescit arbor.

**Karel D. Kajuh**

KO JE PRVIČ ROČICE PAZPRL —
CUM MANUS PRIMUM TENERAS TETENDIT

Cum manus primum teneras tetendit,
Cor tuum gaudens tremuit timore:
O meus mi ne moriatur infans,
Ne moriatur!

Dormientem cum gremio tenebas,
Flens susurrabas puero venuste:
En, brevi firmus iuvenis vigensque
Corpore fies!

Viribus pollens adolevit atque
Liberae se rei dabat usque totum.
Spem fovens rebare vale supremo:
Nate, redibis!

Filii nunc verba feruntur auris:
Vivere est pulchrum, mea mater, audi,
Mortuus pro quis sum, iterum libenter
Sim moriturus!

**Polde Oblak**

BEL DAN JE BIL — ILLE DIES NITUIT

In mente sponsa ficta tum fui tua,
Cum tacitis in agris ver floridum maturuit:
Carens recessu ut cerva contremens eram.
Ille dies nituit, coelo meabant lucido
Mutae catervae nubium supra arbores,
Flámine multivago quam obducta vela si forent,
Nos implicati in floribus cupide sumus
Atque querella tacens nos inter ardescens erat,

Tunc tu dedisti mi quiem, vitae tibi
Lumen ego tribui; tum in te est homo mi cognitus.
Tristis fleo nunc, proh, a me quod tu fugis,
Quod via iam tua, scis, amoris exerraverat.
Prae te vorago mundus est ac profluens.
Inde per ora mihi pulvis meavit saeculi.

## Igor Pleško

### ZGORAJ SO SENCE — SUNT UMBRAE SUPER

Folia iam cecidere mille, mille
Latis arboribus humi vieta,
Nunc natura manet relicta, nuda.
Arbor corporis est mei figura.

Cuncta ex me cecidere cogitata,
Lumina aspicio silensque serta,
Umbrae sunt super inque corde frigus,
Subter exanimes — suave vêr id.

### NI VAS TU — NON ADESTIS HIC

Nec iam vos adestis hic,
felicissimi dies,
noctes splendidissimae.

Nec iam vos adestis hic,
illae semitae magae,
illa arcana mystica.

Nec iam vos adestis hic,
tempus, en, fit decolor,
namque non adest amor.

### KDO JE ZA VOJNO? — QUIS BELLO FAVET?

Quis bello favet? Rogo.
Vosne, tune? Quis probat?
Esne tumet iste tu?
Tune bellum ut tu probas?
Nempe non ullo modo!
Ergo quis bellum cupit,

Si non tumet id cupis?!
Is vel omnes id probant?
Si non tu, proinde non
Unusquisque ei favet.
Qui vos estis hi? Rogo.
Esto tumet hoc, quod es!
Tu velut tute hoc, quod es,
bellum non sibi cupit?
Sed velut vos iste tu
Appetit bellum ac probat?
Nosmet omnes hoc sumus
Omnes. Nosmet estis haud
Vos. Egómet atque tu
Appetentes non sumus
Belli nec favebimus,
Tumet atque egopte, id est
Non omnes videlicet,
Sin id haud omnes probant,
Quis bellum cupit? Rogo.

Qui nec tu nec est, ego,
Is qui prorsus haud adest,
Qui pavor nobis super
Constans haeret atque ovat
Usque nobis imminens,
Parvum memet atque te,
Sicut omnes sunt, facit.
Qui timet, non is cupit
Bellum, namque opus pati est.
Ergo praestat neminem
Nobis comminarier
Atque fas est affici
Non quemquam pavore sic
Nosque odisse convenit
Bellum; namque id odimus,
Odimus tute atque ego,
Unusquisque id oderit!
Omnes oderímus id!

Quisnam adhuc bellum cupit?
Non ego nec tu cupis,
Id non omnis appetit,
Nemo nae bellum cupit!

## KO SNEG SE BLIŽA — NIVE IMMINENTE

Sol fessum calefactat almus arvum,
Dona quod tulit horna copiose;
Non sulcos tegit erutos adhuc nix
Splendide nitido suo tapete.

Iam large niveos peropto campos,
Ut cunctae foveae tegantur aeque,
Est mirabile tum mihi esse solum,
Amplexus potius peti est amatae.

Nempe ne te aliquis dolor prehendat,
Tete mititer ambit arcta vita,
Solum in deliciis tenes hoc unum:
Res bonae veniunt malis peractis.

Iam mox obruet arva nix caduca,
Omne praeteritum manebit infra:
Vita germinet ex amore posthac
In novis spatiis — quod approbes, sors!

## SAM — SOLUS

Solus. Sum solus tecum, solus sine tete.
Solus sum solus, solus ego neque sum
Solus cum temet neque solus sum sine tete.
Tumet eras mea; nunc solus ego moror haud.
Sum tecum, solum tecum, solum sine tete
Solus sum, solus, solus ego moror hic.

## ČLOVEK IN MORJE — HOMO ET MARE

Quodsi naturae regnique maris speciosi
Est homo re vera dominus nec non herus una,
Hoc regnum maris observet cum mente scrutanti
Atque animum dimittat in hoc spectabile regnum,
Arcana quod tutela velatur aquarum
Immense valida praegrandique atque potenti!

**Janez Menart**

## LETA GOSPODOVEGA — ANNO DOMINI

Ecce monasteri turrís vetus. Ante fenestram
Intus adest pater annalium scriptor venerandus
Ad mensam et calamum tenet intuiturque papyrum.
Sub muro flavescens tilia susurrat in aula,
Mititer flatus ramo tangit vitra fenestrae.
Utque dies abeunt, sunt ordine folia caduca.
Desertum veteres intra muros taciturnum est,
Ast illic extra est varians orbis spatiosus,
Nempe foris vita est, sunt prospera, sunt et egena,
Sunt partus, hymen, mortes, sunt ordo, tumultus.
Extra sunt motus acres et seditiones.
A vicis et ad oppida sunt via, semita, calles,
Hinc illinc multae ducunt tritae patulaeque.
Atque onera appendunt trutiná multisque ibi nummis
Fundus homoque, ager, arx, vicus sub pignore dantur.
Stringuntur gladii pro iustitia atque ob honorem
Et procerés bellant cum principe pro dicione
Ac vectigali. Iam caedunt Hungari atroces
Caesaris assectatores, pestisque famesque
Interimunt illic. Turcarum personat equorum
Ungula conculcans templorum limina sacra.
Atria splendescunt illic, ad pocula plena
Nectuntur furta, insidiae, fraudesque dolique,
Spargitur in vinum virus succusque veneni,
In rixis crebris ob fundus servitiumque
Nunc obnoxium aratorem dominum necat arcis,
Mactat rursus herum castelli seditiosus —
Ecce foris illic it vitae fluctus alacris,
Qualis per valles ac trans iuga nocte dieque
Prisci coenobii ad muros alliditur usque.
Sed calamum intingendo ad mensam scriba meretur
Coelos, deserte solus, clemens tacitusque.
Hanc vitam spectat cum leto bella gerentem,
Quae scribat cumque ipse, supérfore noscit hoc auctor.
Scriba pater notat ergo haud paucas res variasque,
Attamen haec haud pauca videlicet omnia non sunt —
Abbas advenit ei dicens: haec scribe, sed haec ne!

## PASTORALA — CARMEN PASTORALE

Coelo luna bicornis it,
Quam circum radiant lucida sidera;
It errans per agrum pecus
Praeceditque aries lanigerum gregem.

Nocturnus properat levis
Rivus fulgidus in lumine lunulae;
Marcescens peregre fugit
In rivo folium fluctibus incitis.

**Kajetan Kovič**

## MAJSKA ROMANCA — FABULA VERNALIS

Maiis Kalendis tunc erant crepuscula,
Iuvenis meabat per nemus cum virgine.

Maiusque amoris vesperi nam tempus est;
Lumbos manu tum amplexus est is virginis.

Vox túrturúm vocábat ád amorém, simul
Vocabat et venusta forma virginis.

Ubi nemus fragrans olebat pineum,
Venêre lustrantes ad abditum locum.

Postridie Maias Kalendas iam fuit
Et muta nox. Rediere cum silentio.

**Andrej Kokot**

## MOJA BESEDA — VERBUM MEUM

Umquam quidem non exspuam verbum meum.
Quodsi necesse erit, magis in acumine
Calami volam scriptorii id praefigere,
Suspendere in horizonte chartarum quoque,
Ut flatibus lacerétur atque temporis
Nostri putrescat in fimo hoc verbum meum.
Idem dein stercus meae fiat soli!
Quod fas meum est tractare, quam libet mihi.
Hoc protegam a sententia semper nigra,
Quam non dicam quamque ipse non dixi quidem

Umquam; meo nam non scio hoc in corpore
Mortem nec alienorum ego mortem scio
Verborum in oribus meis ut hospitum.
Mortem precantur qui malam verbo meo,
Muti simul sunt atque surdi, namque sunt
Circumdati tenebris turpitudinum.

**Niko Grafenauer**

MAMA — MATERCULA

Matercula est in orbe cunctorum optima,
Libenter ipsa cum mihi subrideat
Nec non quod est etiam patri par proprium.

Iterum libens matri pater dat oscula,
Cum matre dormit atque mane surgit is;
Promittit usque quaelibét matrí pater.

Expressa imago lucis ope monstrat patrem
Habentem in umeris matris, en, manus suas
Rixatur et cum matre, quae mecum facit.

Patris legit sententias matercula,
Optata mater cuncta conicit patris.
Iuvat patrem, quando dies sunt asperi.
A mane si morosus est, tum mitigat.

Non esse sola quidem potest matercula
Aut esse par cuivis in orbe patruo.
Certó scit ád nos ómnis hoc: quod mater est
Enim melius potiusque dimidium patris.

Qui fieret absque matere tum patri meo,
Quando eius iret in orbe dimidium modo,
Eheu, maneret sic nihil pro me patris!

**Anica Olip**

STRAH — PAVOR

Intueri me cave sic, amabo,
Nam dolore uror; mare tu larosque
Ac polum spectes; ut ego recedam,
Vertito vultum!

## TEBI — AD IUVENEM

Quandoque ego de te recordor, o care,
Tum florulentum cogito novum florem,
Recentem amorem cogito usque tam mollem,
Quem mundus enecaverat ferus suavem.

Quandoque tu de me quidem recordaris,
Ferventis aestus cogitas acres flammas,
Orbem parumper qui poli cavi accendit
Aestusque hic amplius revertitur numquam.

## MOJE MISLI — COGITATA MEA

Possident mea cogitata magnas
Alas atque alacres magis nive albas;
Sic volant procul in beatitatem,
Apricas adeunt plagas remotas,
Illuc ipsum, ubi non adest simultas,
Nec non sunt oculi quidem sereni,
Nocte ut solstitio est polus refulgens.

**Alenka Berkopec**

## KO SEM SAMA — CUM SOLA MOROR

Hic en sola cum moror,
Hic in orbe maximo
Cumque inanis mundus est,
Cogitatio tui
Reddit haec vitam mihi.

## ČUTIM SAMOTO — SENTIT COR SOLITUDINEM

Umbras cor videt meum,
Sentit solitudinem,
Audit horologium,
Quod sonat silentium.
Sola sum cum tempore,
Mecum tempus est vagum,

## LUČKA TAM DALEČ — PROCUL IBI LUCERNULA

Parva ibi lucernula,
Tam pusilla, tam procul
Debilisque, languida.
Hoc profecto rescio:
Me viae do nunc ego.

**Eva Uršič**

## BEŽIM PRED PRAZNINO — FUGIO INANITATEM

Ipsa sum fugiens inanitates,
Quae quam retia sunt araneorum
Se extendentia deprimenter in me.
Tete memet amare somniabam.
Extensos per agros nitente luna
Saltabant erióphora otiosa.

## SAMA SEM — SOLA SUM

Sola sum premitque me
Solitudinis timor
Et tenebras horreo;
Vexor infortunii
Sensu mota turbidi
Ac metu mei tremo.

At cum specto denuo
Noctis in caliginem
Longae huius inviae,
In tenebris his iubar
Conspicor duplex: tua
Ista clara lumina.

**Zorka Poženel**

## POZDRAVLJAM TE, PRELJUBA VAS — SALUTO TE VENUSTE PAGE

Rursus, page venuste, te saluto.
Tempus iam mihi nunc adest beatum,
Cum tuam veniens amoenitatem
Specto, deliciae meae iuventae.

Vos salvete, dies mei sereni,
Usque laetitias mihi daturi.
Spem certam foveo boni futuri,
Huc rursus reditus, sodalitatis.

## ZBOGOM, DRAGA VAS — VALE, CARE PAGE

Care page, tu vale!
Nunc eundi tempus est,
Nunc discedere est opus
Ac recenti mente iam
In mundum revertier.

Grate page, tu vale!
Non morarier licet,
Dicitor cunctis salus!
Dic amicis denuo
Me reversurum modo
Actis mensibus tribus!

## PRIJATELJ — AMICUS

In cór meúm quodám dié venit novus
Amicus atque ignis favens accenditur.
Hic ignis haud modo in duobus cordibus
Adesse debet, sed in omnibus simul.

Namque igne tali semper est opus quidem
Cunctis hominibus ménte non carentibus.
O quam salutare est amicum candidum
Habere, cum longi dies sunt et graves.

## RADOST — LAETITIA

Laetitia est ingens ubertas divitiarum
Corporis et animae.
Laetitia est amor atque favor studiumque fidele,
Mutua cura simul.

**Jurij Košir**

UMRLA JE STARA GOSPA —
IN MEMORIAM

Functa anus est vita domina ex quarto tabulato.
Perpetuo monstrat virgula tempus idem
Horologi magni, quod ibi de pariete pendet,
Temporis a puncto, cum mulier periit.
Illius dominae grandaevae cum cane fido
Magnus flos cacti laetitia una fuit;
Qui flos tunc calicem tenerum clausit foliorum et
Viribus amissis flaccidus interiit.
Nec non defunctae catulus dominae gravis annis
Obtutu tum haesit conspiciens laquear
Et vitam et verum in muro quaerebat, in omne
Quo conversi oculi tempus erant dominae.
Obticuitque canaria avis quoque grata sodalis,
Abdidit in pennis tum caput exiguum...
In thalamo coepit mors vitam vivere certa.
Perpetuo monstrat virgula tempus idem
Horologi magni in muro. Quarto ex tabulato
Illa aetate gravis mortua heri domina est.

**Justina Sape**

NJE NE IŠČITE! — NE QUAERATIS EAM, AMICI!

Ne quaeratis eam, minime quaeratis, amici!
Solus sum penitus, sed tamen haud doleo.
Iam cantemus, id est melius; concentus, amici,
Tantum pro nobis nunc resonet placitus!
Quod dolet atque movet tristes animo cruciatus,
Obliviscendum est, quodque facit memorem.
Ne quaeratis eam, minime quaeratis, amici!
Hoc mihi tempore sunt mortua praeterita.
Omnia, quae nos cumque ligant, abscindimus, ista
Inter nos quae iam diruta vincula sunt.
At quo finis abest cunctorum longius horum,
Sic mage eo gravisque haec meminisse dolet.

Ne quaeratis eam, minime quaeratis, amici!
Est ea nunc animae mortua virgo meae.
Ad finem iam fortunae calices vacuemus,
Mecum omnem noctem permaneatis item!
Restare hic hanc vesperam ego minime volo solus,

Nam ne quaeratur tunc ea virgo mihi.
Ne quaeratis eam, nolite exquirere, amici!
Sic iussit nec non vita ferox voluit.
Cantemus nunc — sitque dolor — concentus, amici,
Solum pro nobis iam resonat relevans!
Atque meum si pollet adhuc cor semper amare,
Non est ultima nox nec erit ultima lux.

**Anica Šumenjak**

## NA DAN POKOJNIH — DIE DEFUNCTORUM

Quí meúm cor dívidam
Inter acceptos meos,
Quos non aura iam fovet?
Hic ad tumulum viri
Sto iacentis iam diu.

Illic esse debeam,
Frater ubi iacet meus.
Irem illuc libentius,
Scrobs ubi parentum adest.

Qui meum cor dividam?
Sic, ut mente provolem
Ad caros eo meos,
Quis ademptum lumen est,
Exportans quietem iis.

## VEČER — VESPER

Quam pulcherrimus hesperus quietus!
Mox longe ianuam domus recludo.
In coelo iubar hesperi rubescit,
Accendunt sua lumina astra noctis.

Foras in tenebras eo silentes,
Ventus me tepidus levisque mulcet
Mitigatque tener vage susurrans,
Maestam sollicitamque me manentem.

## POD BRAJDAMI — SUB VITIBUS

En in umbra vitium
Felix virgoque et puer,
Offerunt sibi fidem,
Mutuo amplexus petunt.

Tempus urgens praeterit,
Discedit puer procul.
Virgo nequiquam manet,
Ut revertatur domum.

Nunc in umbra vitium
Quisquam non adhuc sedet.
Quis scit, qua meet puer,
Heu, puellae cor dolet.

## PISMO — EPISTULA

Scirpsi: „Care mi, veni!"
Tu mihi: „Iam venero."
Te manebam fervide,
Tu felicitas mea es!

Adfuisti. Quamque ovans
Te recepi concita!
Felicissimus dies
Mi fuit tum, splendidus.

„Ad te venero libens,"
Obtulisti mi exiens.
Basiasti me tener.
Nunc ab usquam non venis.

Usque cor vocat meum:
„Care, exspecto te, veni!"
Irrite quaerunt mea
Nec vident te lumina.

## S TEBOJ — TECUM

Tecum, cara quando eo,
Alteros non conspicor,
Audio vocem tuam,
Visu te modo haurio,
Vultum floridum tuum.

Quam fovet mi pectora,
Iuxta me si, cara, ades!
Cordi est suave quam meo,
Elloqui possum tibi,
Quibus angor, recreor.

Arbitror nec non puto:
Quam dolebo, cum duo
Porrigemus nos manus
Mutuo atque cum vale
Nos dicemus invicem!

## ZADNJA PESEM — CARMEN ULTIMUM

In colle eo libens ibi dormiam,
In colle eo, quem viculus est prope,
Ibi quiescere eligam, cum
Exanimatum erit hoc meum cor.

En collicellos hos patrios enim
Vallemque suavem hanc atque domesticam
Impense amavi et terra mitis
Exanimi mihi det quietum!

Strepant cupressi funereae mihi
Celsaeque campanae resonent simul;
Ne lugeat tum quispiam me,
Mi bene namque erit in solo tunc.

## OB VEČERIH — CUM VESPERI SUNT

A vico prope vesperis suevi
Ascensu superare collicellos.
Hinc illinc graciles strepunt cicadae
Edentes tenere sonum venustum.

Lenis hic sedeo virenti in herba
Hic cessans penitus tui recordor...
Mensis Maius erat, tibi meum cor
Quando in colle dedi fidele ad usque.

Vinetum fuit hoc et hic, suavis,
Dixisti, valeas mihi ultimum tunc
Et mi pollicitatus es venire,
Cum maturus erit racemus uvae.

Iam maturuit uva delicata,
Ast adhuc abes usque, denuo cum
Praepetum crotalum strepit fugator,
Non felix cor inest mihi querenti.

**Dušan Velkavrh**

## DALA TI BOM CVET — FLOREM TIBI DABO

En veni, florem tibi,
In me qui viget, dabo,
Hic pro te viret modo!

O veni, florem tibi
Largiar, gemmam meam
Explicabo floream,
Care mi, pro te libens!

Non de vere somnio,
Quippe quod mecum gero,
In sinu tenens meo.

Ver non nuntiabit hoc
Sempiternum aevum mihi,
Mortem non perhorreo,
Mortem obibo propter id,
Ut renascar denuo
Ipsa in te, tenerrime.

En veni, florem dabo
Iam tibi, pro te modo
Florui, solum tibi
Me licet decerpere!

## FLOREM TIBI DO

Dala ti bom cvet

(Rhythmice)

Veni, florem tibi do,
qui crescit in memet
et floret pro te!
Veni, florem tibi do
gemmamque hanc solum
recludam pro te!

Non de vere somniaveram,
id gero manibus.
non aeternitatem nuntio,
haud mortem timeo,
quapropter moriar,
ut generer in te,
care mi.

Veni, florem tibi do,
florebam sic pro te,
me carpi fas solum a te!

**Ljubljana, 1970**

# VARIA

## Anonymus

### VNUK — NEPOS

Est nepos is vagiens,
Est homo nepos item,
Cui quoque est profecto avus.
Est ei sugitorium
Atque chiramaxium.
Est nepos haec parva vox,
Hic nepos infantulus
Toto corpore est madens.
Quodam homo modo est nepos,

Hic proles nurús avi.
Est item profecto avi
Filii nepos satus.
Namque avo ruri meo
Ortus est pater meus.
Ergo sic ego nepos
Sum nimirum avi mei.
Et tum sum nepos ego,
Quandocumque rus eo.

## DUHOVITE MISLI — SUBTILITER DICTA EX ACTIS DIURNIS

„Omnes cum naves sunt mersae, quid faciendumst?"
„Non desperandumst, nare profecto opus est!"

Cuncta leves homines haud ordine composuere
Terram, sed lunae iam imposuere pedes.

**Quidnam pulchrius est quam stultum audire tacentem?!**

Ipse sibi est hostis, qui non sibi quaerit amicos.

Facile est ferenti corpori vacuum caput.

Bonus mi amicus melior est pecunia.

## PREGOVORI — PROVERBIA
albanica in colloquio relata

Flores multi expanduntur, qui in arbore florent,
Sed fructus omnes pomave non tribuunt.

Ut sine luna est nox, sic est infans sine matre.

Corni flectuntur ferulae, se frangier haud dant.

Vicínus hórtus dulciora habét píra.

Nátat, en, ut culmus is.

## PROŠNJA GOZDA — PRECES SILVAE
(Inscriptio in lignea tabella in iugo montis Pohorje)

Administratio silvarum oppidi Maribor.

En hominem alloquitur sic silva simulque precatur:
Sum calor in fornace tua, cum frigida bruma est
Ac refrigerium pergratum sole calente
Sumque tuae domui tectum mensaeque tabella.
Sum lectus recreans, ubi fessus tam bene dormis,
Sum scamnum tignumque ad naves aedificandas
Sumque tui lignum rastri, postes stabuli sum.
Lignum sum tibi cunarum, loculi quoque lignum.
Sum bonus, en, panis, sum flos munusque decoris.
Sumque valetudo, sum thesaurus regionis.
Quae precor, exaudi: Ne me vastes, homo laute,
Post te nil maneat praeter vestigia gressus!

## KO ZARJA ZJUTRAJ — AURORA MANE

Canticum ecclesiasticum
(Rhytmice)

Aurora mane rubescente,
Maria, mihi es in mente;
Imago tua animae
Mi inest omni tempore.

Vi tentationis me torquente,
Maria, mihi es in mente;
Me tristem laetum efficis,
Afflictum non me deseris.

Et terrae nocte irruente,
Maria, mihi es in mente;
Tu mihi es in animo,
Cum surgo vel obdormio.

Extrema hora veniente,
Maria, eris mi in mente;
Deficient cum vires me,
O, recordabor tum de te!

## CARMINA CROATICA

### Carmen populare

### RIBA I DJEVOJKA — PISCIS ET PUELLA

Ad litus maris en sedet puella,
Haec secum loquitur tenella virgo:
Care caelipotens Deus benigne!
Latiusne aliquid mari est profundo?
Longiusne aliquid agro est in orbe?
Estne quidpiam equo magis volucre?
Num quid dulce magis favo est odoro?
Estne frater aliquid magis suave?

Piscis taliter ex aqua profatur:
Hercle stulta puella mente capta!
Coelum latius est mari recurvum,
Pontus longior est agro profundus,
Sunt equis oculi magis volucres,
Sunt et sacchara melle dulciora,
Fratre suavior est amans amatus.

**Petar Preradović**

NOĆNA PJESMICA — CANTIUNCULA NOCTURNA

Ducunt astra choros corusca mire
Caeli purpurei per editum orbem;
Gressus astra ferunt chori quiete,
Ne languens humus excitetur alma:

Lassa namque humus est amoena valde,
Defessa est pedibus meantum ubique,
Defessa est manibus laboriosis
Nec non cordibus, usque quae moventur.

**August Šenoa**

VEČER BIJA — VESPER ERAT

Vesper erat tacitus: stellarum copia multa
  Clara mihi arrisit mititer et placide;
Sidera verum obscurantur perfusa pudore,
  Quod videre oculos, virgo, tuos graciles.

**Dragutin M. Domjanić**

(STARI ZAZVONEL JE ZVON —) AVE MARIA

Pláustrum subséquitur plaústrum,
Fléctitur léniter ví,
Resonat vetus campana:
Ave Maria!

Fragrat suaviter foenum,
Nimbi iam abeunt saevi,
Omnia condimus pulchre,
Domi erimus brevi·

Dies hic fervidus erat,
Lenem sentimus nunc austrum,
Nutat et grave inclinat
Quasi navigans plaustrum.

Splendens extinctus est dies,
Ducit in tenebras via,
Tempus est ire dormitum,
Ave Maria!

**Franjo Ciraki**

## ZDRAVO, PONOSNI GRADE — NOBILIS URBS ARNI FLORENTE IN LITORE, SALVE!

(Ex elegiis Florentinis)

Nobilis urbs Arni florente in litore, salve!
Vos, salvete, aedes, me excipite, advena sum
En hic, optabam qui iam iuvenilibus annis
Italiae caelum visere caeruleum!
Ad verum perducuntur nunc somnia grata,
Nempe erat huc cor avens usque venire prius.
Iam mihi pes Itala optata tellure vagatur;
Spiro corque meum mox avide satio
Aëre, qui patulis de collibus afflat in Arni
Planitiem mitis suaviter et recreans.
Hic placido mea mitigo turbida pectora vento,
Dulci mota melo virginis Italidis.
Crinibus aura meis flavis colludit amoene,
In collem cum adeo te, Miniate pie.
Hinc mirandi prospectus praebetur imago,
Desuper aspice, sat mira videre potes!
Corque meum gestit, vaga fla de collibus, aura,
Si mea tecta adeas, fratribus affer ave
Meque frui iuvenem grata dulcedine suavis
Caeli, dic, Itali, quae mihi cor relevat!

## ZDRAVO ZVIJEZDO VEČERNJA SALVE, STELLA VESPERTINA

Salve, vespertina, mihi, tacita acrea stella,
Salve, caerulei clara poli species!
Sublimi coelo fulgesque micasque recurvo,
Quos amor urget, tu pellicis in nemus hos.
Rosa rubet, redolet variorum copia florum,
Condit odor fragrans aethera noctivagum.
Me quoque tum magicae pellexit gratia noctis,
Iamque relicta domus porta meae procul est.
Ambulo, ubi Cascine iacént, viridaria mira.
Heu, cur solus sum, quid, ubi amata comes?
Est here virgo mihi in platea miranti ibi visa,
Praebebat flores hospitibus decori.
Ex quo spectabam iuvenile decus muliebre,
Illius haud vidi virginem adhuc similem.

In picturis iam priscis veterum pictorum
  Pitti Palatii adést aemula digna modo:
Idem vultus adest, idem decor est faciei,
  Is rius suavis, forma deae est eadem.
Floribus en vegetis etiam est huic corbula plena:
  Narcissi redolent, medica mala nitent.
Felix, qui vidit faciem hanc, multo mage felix
  Tale exemplar habens is Titianus erat!

**August Harambašić**

NEVENKA — HOS TIBI PRAEBEO FLORES

Ut tibi donarem, flores aliquos ego legi,
  nam pro te donum pulchrius haud habeo.
His ut te exornes, en hos tibi praebeo flores,
  cum decore haec tibi non munera sint paria.
Sed fuge mirari rores in floribus hisce:
  Esse meas lacrimas, carmina scito mea!

**R. Katalinić Jeretov**

SA PROZORA — DE FENESTRA

De patula somno pressum mare specto fenestra,
  aurorae primum basium in id cecidit.
Quam valde mihi sunt haec sacra silentia grata!
  Litus adhuc vacuum est, non ibi turba meat.
Quam lugens atram doleo noctem pereuntem
  et cupio nondum solis oririer os,
Ast opto redeant umbrae nigraeque tenebrae,
  appetit afflictum muta silentia cor,
in tenebris ad me cum clemens advolat umbra,
  mulceat ut frontem tristitiamque levet.

**Milan Begović**

DUNJA — CYDONIA

Expandit patulos nostra cydonia
Ramos ecce meorum ante Lares patrum,
Per frondes teneras sol radios iacit
Ac fructus redolent suaviter aurei.

Balatu resonant arva procul gregis
Pastoresque vagi carmina concinunt,
Tintinnabula equorum áere personant.
Mi nictat canis ex aedicula sua,

Prudenter speculans. At miserum meum
Cor desiderio tábet et anxia
Pererrans anima est praeteritos dies, —

Sed gratus sapor hic me memorem facit
His isdem pariter, virgo, cydoniae
Fragravisse tuum pectus odoribus.

**Vladimir Nazor**

GALIJOTOVA PESAN — CARMEN REMIGIS

Hos tum ad asses, ei, miser adligatus
nec domum vidi neque matrem amatam.
Qui, domus, tecum? Genetrix, dolesne?
O mare glaucum!

Tum sepultus sum miser hac in arca,
arborem haud vidi neque lumen almum.
Arbor, arescis? Cecidisti alens sol?
O mare glaucum!

Sunt pedes fracti, est animus peremptus.
Anxius nunc vivo. Lari, volate,
vos ave fertote meae parenti!
O mare glaucum!

Paulum humi, ramum date rosmarini,
remus ut vernet, requiescam ego ipse!
Audiam tui tum placidum susurrum,
O mare glaucum!

Mi canes: „Mergam maledicta rostra;
te veham in molles tenebras profunde
atque ut infantem leviter movebo:
Iam bene dormi!

**Gustav Krklec**

## DE CENTUM EPIGRAMMATIBUS SELECTA
## (ZRNO DO ZRNA POGAČA)

De granis magnus fit acervus et alma placenta
  Factaque de saxis regia magnifica est.
Deque pilis multis fiet latissima cauda.
  Atque epos e centum est en epigrammatibus.

Fabellas legit Aesopi non segniter agnus
  Ac miratur eas esse bonas memorans;
Ast esse istic rem solum perdifficilem unam.
  Emendare lupum quod minime nequeant.

Conqueritur leo grandaevus: „Heus vos, mea bruta,
  Iam non sum validus, languida membra trahens!"
Atqui bruta statim tunc haec ad verba leonis
  Festa hilare celebrant atque parant epulas.

In platea mulier comparet rustica quaedam,
  Quae corbem magnam baiulat in capite.
Mas anas ex sporta dependet tristiter, esse
  Iure ratus vitae perbreve, vae, spatium.

Regulus electus corvus quidam niger ales
  Nostra non magna est in regione avium.
Hanc ad rem quidnam merula et luscinia dicunt?
  Esse tacere aurum sic volucres referunt.

Contemplatur apum longaevior alvear ursus;
  Usque morans reputat: „Nectareum mel erit!"
Ambiguus praetermisit tempus tamen aptum;
  Fit demum memor is, quomodo apes feriant.

## EPIGRAMMATA
(Tužio se som)

Conqueritur senio gravior languensque silurus:
  „Est, cari geniti, en, haec domus arta mihi!"
Ergo Larum veterum penetralia prisca relinquit
  Transutusque veru mox super igne cubat.

Rana coax lamentatur queriturque coax mas:
  „Me taedet vitae: nullius est pretii!"
Atqui cum gruis hic rostrum conspexit acutum,
  Tum primum fruticem confugiens subiit.

Praetores adiit leporemque accusat asellus:
Offensas factas esse ab eo sibimet:
„Iste meam violat famam lepus, aeque tribunal,
Affirmans longas esse mihi auriculas.“

## SLIJEPI PJEVAČ — CITHAROEDUS CAECUS

Caecus erat, mihi qui quondam venit citharoedus
Obvius et dixit: „Mundus hic, en, decus est!"
Perturbatus eram leviter: „Hunc esse decorum?"
„Cernes tum, fili, cum bone, caecus eris".

**Dobriša Cesarić**

## PUTUJUĆI SLAVONIJOM — QUAM CARA . . .

En ferrea rursus vehor hac via
per patrii plani nebulas leves.
Dies fit atque hoc cum recenti
praeteritos animus revisit.

Pastor salutat me baculo suo,
ei salutes has refero manu;
quam cara cum cannis et agris
est humus haec mihi tam decora!

Fusas aquas — autumnus enim venit —
commotus agris adspicio vagas.
Ciconiae „Descende!" plaudunt;
hic via me vocat omnis: „Adsis!"

## SLAVONIJA — SLAVONIA

Rursus iam veteris plana Slavoniae
apparent oculis — pectus ovat meum —
Ausculto . . . Strepitat rauca cicadula
in spicis: Veniunt laetificae dies
messis moxque aderit spicifero solo
mus cricetus edax, hospes agrarius.
Qui ducit per agros, tramite femina
amotum ad puteum tendit aquarium,
pro sese hac gradiens ore ciet melos
extensum patulo cum modulamine:
par eius patria est carminis ac modus.

**Drago Gervais**

PIPA — FUMISUGIUM

Clamábat hódie pér domúm freméns avus
Et cuncta cunctosque exsecrabat devovens,
A quópiám quod ésset erreptum sibi
Furto suum praesigne fumisugium.

Lares avus turbavit omnes admodum;
Felem cecidit atque vicinos quoque ex
Somno excitavit et catillum fictilem
Perfrégit ét aviám furéntem reddidit.
Erat status profecto apud nos horridus.

Infausta tándem fistuláta haec cápsula
Casu secundo inventa avi sub pileo est.

## CARMINA SERBICA

**Carmen populare**

DEVOJKA RUŽICI — PUELLA AD ROSAM

Ah, mea tu frigens aqua limpida et, ah, rosa rubra,
  Quid tam mature splendida tu genita es?
Non habeo, cui te carpam: matercula non est
  Cara mihi miserae neque sororem habeo;
Si, rosa, te sociae generis decerpere vellem,
  Haec mea iam dudum iuncta viro soror est;
Nec, rosa, te socio generis decerpere possem,
  Nam frater meus hic militiam subiit;
Si te dilecto legerem, procul est hic amatus
  Ultra tres montes et quoque tres fluvios.

**Dositej Obradović**

SVE SA MNOM TUŽI — MECUM CUNCTA QUERUNTUR

Quae me circumdant, haec mecum cuncta queruntur:
  Nec alii cantat nec avis est cum alia.
A saltu resonans mihi fertur flebilis echo,
  Mi in luctum zephyrus vertitur in foliis.
Mecum dant gemitus gelidi rivi simul omnes;
  Fundite mi moestas, vos oculi, lacrimas!

**Branko Radičević**

## AD STRAŽILOVO

Salvum pérmane, suave Stražilovo!
Multi ad sidera temet efferebant,
Dixerunt: „Paradisi imago!" multi,
Sed non sicut ego te quisquam amabat.

## SRETAN PASTIR — PASTOR FELIX

Ad fontem beatus en
Felix dux moror gregis,
Huc nam semitae ferunt,
Huc et virgines meant,
Hic albant domesticum
Linum, eis sit aureum!

Ut se quaeque commovet,
Stringit corde me meo!
Atque ut quaeque me aspicit,
Cor simul ferit meum!
Rident et mihi insuper,
Ut turbent cor excitum.

Sic heri ecce pupula
Venerat puellula,
Ut sum conspicatus hanc,
Heu, motum est cor admodum:
Haec, haec ipsa candida
Cor mihi abstulit meum.

**Djura Jakšić**

## GDJE JA ŠEĆER SIJEM — SACCHARA UBI SEVI...

Sacchara ubi sevi, crescunt hic toxica amara;
  In fletum erumpo, psallere ubi cupio.
Infensum hunc habeo, quem spero mi fore amicum;
  Vindico ubi laurus, impetro serta vepris . . .
Nocte fugatur lux, lychnorum extinguitur ignis,
  Sed numquamne meis meta malis aderit?

**Jovan Jovanović**

## SVET — MUNDUS

Mundus hic quam pulcher est!
Rivus istic, flos ibi.
Hortus hic, illic ager,
Ecce sol, umbracula.
Amnis illic Hister est,
Plenus auro profluens.

Gramen hic, istic frutex.
En aëdon abdita
Personat nemus melo,
Quam beatus audio,
Audit et comes mea.

**Pero Popov**

## DA TI UMREŠ — SI DECESSISSES DE VITA

Si decessisses de vita tu, mea virgo,
  Omnes effugerent insulae abhinc Hadriáe
Et varii flores languerent ac fluviorum
  Ferrem saevorum tristitiam per aquas.

Si decessisses de vita tu, mea virgo,
  Aetas altera tunc inciperet glaciei.
Essent messes exiguae fierentque paludes
  Limosae priscis omnibus ex maribus.

Si decessisses de vita tu, mea virgo,
  Mundi contemptór atque vagans fierem.
Usque dolore meo pressus tum tempore nullo
  Régrederér rursus huc, ubi nunc amo te.

Scriberet amplius haud manus haec mea carmina prorsus
  Nec posthac ullum funderem ab ore melos.
Continuo fugerem volucrum iam cum grege primo,
  Ut numquam rursus régrederér iterum.

## CARMINA MACEDONICA

### Carmina popularia

### NE ODLAZI U TUĐINU! — TERRAS EXTERNAS NE ADEAS!

Est iuvenis migraturus terram in peregrinam.
  Adsistit prope equum sponsa puella gemens
Et lacrimas fundens moestas pariterque precatur:
  „Stultule care puer, parce migrare domo!
Hoc anno saltem prorsus discedere noli
  Terrasque externas ne miseras adeas!
Nummos semper abunde etenim, percare, merebis,
  Atqui non vaga quit nempe iuventa pari!
Flos grate redolet tantum, dum roscidus exstat,
  Tantum aevo virgo diligitur viridi!"

### ZAŠTO MI SE SRDIŠ, LIBE? — CUR IRASCERIS MI, CARE?

„Care, cur irasceris
Mi nec ad me devenis?
Care, non equus tibi est?
Noscis ad me non viam?"

„Est equus, percara, mi,
Nosco tres ad te vias!
Sed succenseo tibi
Vesperum, qui fuit heri.

Hoc succenseo tibi
Nec te, cara, visito,
Cara, quod tecum simul
Stabant puberes duo.

Puber unus praebuit,
Cara, dexteram tibi,
Puber alter, cara mi,
Anulum tibi dedit."

## SADI LOZU — VITES VIRGO CONSERIT

Vites virgo maris prope litora conserit almas
atque serens liquidum fundit ab ore melos:
„Vinea quondam uvas paritura, o vinea, dulces,
quare ego te plantem, quis fruiturus erit?
Non habeo quemquam sol hoc ubi lucet in orbe,
non habeo matrem nec mihi iam pater est,
Non habeo patrem, vae, nec soror est mihi cara;
est mihi nil miserae, nil nisi primus amor,
ille meus iuvenis terras adiit peregrinas,
terras externas, quas Arabes habitant".

**Blaže Koneski**

## Z VLAKA — EX CURRU FERRIVIARIO

Ave atque vale, solum natale!

Illic caerulei maesti locus ecce coloris.
Aetas cuncta mihi cessit ibi puero.
Illi me montes lacrimis nunc ecce sequuntur!
In prono vicus prospicitur latitans.
Nonne aliquis mappam niveam vibrans agit illic?
Ferrati currus omnia praetereunt.
Me montes lacrimis flentes illi ecce sequuntur!
Olim namque infans est puer ortus ibi.
Me mentes animusque illo persaepe reportant.
Dirigit at vitae me vaga sors alio.
Illi me montes lacrimis nunc ecce sequuntur!
Ferrati currus omnia praetereunt . . .

**CARMEN GRAECUM**

**Sappho Mitilenaea**

## HČI DIONE, PRIDI! — DIONAE FILIA CYPRIS, VENI!

O Dionae filia blanda Cypris,
Te precans ad festa voco verenda,
Grata de caelis venias citata
Lapsa deorsum

Huc mihi, Cretes ubi condiderunt
Inclutum templum! Nemus hic amoenum
Nempe malorum est redolentque in aris
Tura vaporis.

Hic aquae gelidae sonant susurro
Arborum ramis; regio omnis ampla
Est rosis umbrosa fluitque somnus
Fronde trementi.

Est equis hic pascua laeta pratum
Floribus plenum rutilis, anisi
Vere spargunt nunc placidos odores
Ac meliloti.

Advola festis, veneranda Cypris,
Atque nobis in calices, benigna,
Aureos mixtum bene delicatum
Fundito nectar!

## CARMINA RUSSICA

### Canticulum populare

VOLNA — VAL — UNDA

Unda viva tu mea
Otiosa, libera!
Obstrepis, qua tu cupis,
Calculos maris teris,
Terrae inundas limites,
Sustines vagas rates.

### Maja Perfiljeva

MJESEC I TI — LUNA ET TU...

Hic es in amplectu mihi tu, mea blanda puella,
somnia luna tua somniat in facie,
namque ea non nescit, quam formosissima tu sis
atque beatos nos esse duos bene scit.
Dum cunctos aufert rebus nox atra colores
et redolent flores suaviter in tenebris,
oscula mollia luna tuae libat faciei,
somnia custodit luna serena tua.
Dum dormit mea virgo ut caerula pupula quaedam
mergitur et mundus molliter in tenebris,
hanc prope, pol, me felicem, me tamque beatum!
O, date, dormiat haec tam pia, tam gracilis,

Lunaque fabellas huic narret cunctaque pulchra
et bona sint ipsi, nunc date, dormiat haec,
cum sit tam tenera ac iuvenis, quoniam in fabellis
visorum somni re procul est misera!

## CARMEN BOHEMICUM

### Jindrich Slaviček

### IGRAJO SE VOJAKE — LUSERE MILITIAM PUELLULI

Lusere militiam trucem puelluli.
Ad protegenda membra fossas excavant.
Missilia mittunt poma terrae grandia.
Tener Georgius fuit dux belliger.

Venit paterculus statimque filio
Alapam sonoram duxit atque protinus
Prolem domum removit increpans simul.

Transmissionibus ipse radiophonicis
Audivit haec enuntiata vespere:
— Bellum movere extranei volunt duces —
Cui mira, dum considerat, videntur haec.

Dormitum iens quaesivit ex matercula:
„Dic hoc, precor, matércula méa dic hóc mihi!
Nullumne habent isti duces paterculum?"

## CARMEN ITALUM

### Piero Monaci

### ALLA NEBBIA-MEGLI — AD NEBULAM

De filis teneris leves amictus
Subtilis nebulae colore texti
Gemmarum tenui tegunt fenestras
Celsas aetheriae domus supernae,
E somnis ubi nuper excitata
Sese aurora parat, suam decoram
Ut monstret faciem, corusca sole
Atque ardens animabili iuventa.

Soror tu, nebula, ah, minor vagantum
Nubium, placida et benigna custos
Tot taliumque reconditorum amoris,
Tu tristis, nebula, ac quieta valde,
Tu, quae das speciem quibusque rebus
Arcanam decus et peculiare,
Quod potest dare tantum imago somni,
Diligo faciem tuam haud videndam
Corpusque aetherium tuum solutum,
Quod tantummodo se procul videnti
Offert atque abit huic imago inanis,
Qui succedit ei nimis propinquus.

Cor meum, nebula, est tibi benignae
Gratum, namque recondis obtegisque
Ornatus mihi pulchritudinesque
Multas eximiasque comis urbis,
Quae LJUBLJANA vocatur, haec „amata."
Discedens magis hinc ego dolerem
Pressus tristitia profundiore,
Hanc quod si nitidissimam viderem
Pulchritudinibus suis amoenam;
At clemens teneri tuum coloris
Velamen varians nitore gemmae
Me circumveniet, quasi ista numquam
Mi relicta foret, sed in quiete
Vidissem speciem levem soporis,
Ut cui somnia sunt subinde amoris.

## CARMINA GERMANICA AUSTRIACA

**Walter Toman**

### VETER — VENTUS

Vivit taliter absque odore ventus,
Solus atque merus sonabilisque.
Interdum modo stringit aequor altum
Et nonnumquam etiam nivem caducam;
Secum prendit et excipitque odores.
Puncto temporis hic parumper intus
Pulmones tumidos vagus pererrat
Atque iam redolet cibis comesis.
Vivit en ita ventus haud quietem

Invenire valens nec obtinere,
Ne fautore quidem sopore pressus.
Idem flammiferi fabrilis ignem
Extinguit, sed adauget hic rogi vim.

**Hermann Lienhard**

SPREMENJENJE — IMMUTATIO

Mors migrans alicunde iam subhalat,
Auris hic, ubi vescor, algidum fit,
A terris ubi leniter recedo et
Aerumnis, velut arva sunt, opacis.
Venti, quos voco, o'lucidi citique.
Vobiscum potero hinc brevi migrare et
Mutata facie lubens abire,
Nomina altera sunt mihi futura
Mox brevique aliter dehinc vocabor,
Non homo nec humus nec usque servus.

**Alois Hergouth**

MISEL — SENTENTIA

En certo perstatur in hoc: bonus est homo sane! —
(donec nimirum nil facit ipse mali.)

TAKO JE — PLANE ITA EST

Succumbunt hiemi pulcherrima gramina laeta,
Torpebunt nivibus cuncta vigentia mox.
Et nostri crines nivei fient aliquando,
Si non tempus ad id calvities fuerit.

PTIČJA MORALA — AVIUM MORES

Sunt volucres parvae iucundae tam nitidaeque,
Aethere si celso caeruleoque volant.
Sed tamen exonerant ventres in asse fenestrae
Eius, qui victus his avibus tribuit.

## PO SVOJI PRESOJI — SUO ARBITRIO

In mundo, scis, non in solo pane homo vivit,
Dixit vir tardus ut pietatis amans. —
In patera fragrans infudit tum sibi vinum
Ac panes tostos edit et ova simul.

## RAZUM — RATIO

Hic, ubi finitur ratio, dein, scito, fidéi
Principium est, pro quo sit decus usque Deo,
Sic, ut, quae non percipimus, quae sunt vaga nobis,
Haec tamen exponi perspicue valeant.

## EPILOGUS

Converti mundus debét, est nempe globosus;
Ex motu rerum gaudia sunt animo:
Ipsus ni sol occideret rursus, foret haud par,
Surgeret út oriens item iterum atque iterum.

## GOLOBI — COLUMBI

En responsa non mihi
A columbis lata sunt.
In fenestra subsident,
Conspicantur lumina
Alitum famelica.
Amisere ramulum
Languidis ex unguibus
Taeniamque argenteam
Rostris exsecant suis.
Hi columbi frigide
Me spectant ut impii
Proditores perfidi
Ac mandata postulant.
Ast eos non amplius
Mittam, certo cum sciam:
— Fallar denuo per hos —.
Terra, de qua nuntiant,
Non existit. Arbor haec,
Astra quae portaverat,
Caesa concidit. Nitens

Imber absilit strepens.
Non exsistit insula
Et futuri litora
Nullibi serena sunt.
Hic est tempus ac locus.
Ex petrosa Golgotha
Eminet deserta c r u x.

**Paul Wimmer**

KODER HODIŠ Z DEŽJEM — IMBRE NON LAVABIMUR

Imbre non lavabimur,
Largiter qui funditur.
Qua meas, constans simul
Tecum culpa semper it.

Quaenam cuncta cordibus
Nostris despopondimus!
Omnis ipse scit modo,
Pauca quam praestaverit!

**F. H. Krenn**

GENERAL V POKOJU — DUX EMERITUS

Dux aliquis dominus missicius emeritusque
Horto in communi pabula dat merulis.

Accurate demensae partes alimenti.
Ultro hostis petitur passeribus valide.

Pari caerulei sunt, vim qui cautius arcent.
Actio fit „Corvus", quae struitur subito.

Inter arenosos circos et aquas salientes
Densa acies posita est atque parata manet.

(Partibus in neutris sunt area tuliparum
Atque aliis plenae floribus ariolae).

Ergo nempe duces cunctos mittamus in hortos
Communes, alimenta ut merulis tribuant!

## ADNOTATIONES

ad carmina poetarum non Iugoslavorum

*Ferdinand Krenn* (n. Viruni [Klagenfurt—Carinthia] 1942), poeta Austr.: versatur Vindobonae studiorum literarum causa. Carmen 'Dux aliquis dominus' ex libello „Insbruck" 1965.

*Hermann Lienhard* (n. in oppido St. Viti ad Glanum 1922), poeta et scriptor Austr.; organoedus in opp. St. Viti Carmen ex libello Stimmen der Gegenwart, Vindobonae 1952.

*Walter Toman* (n. Vinobonae 1920), poeta Austr., dr. phil., agit ut doctor academ. in universitatibus Austriae et Germaniae Occid. Carmen ex libello Stimmen der Gegenwart, Vindobonae 1952.

*Paul Wimmer* (n. Vindobonae 1929), poeta et scriptor Austr. Vivit Vindob. Carmen ex Anthologia „Das zeitlose Wort".

*Alois Hergouth* (n. Graecii [Graz] 1952), poeta et scriptor Austriacus, dr. phil., adiutor doctoris academici in Universitate Graeciensi. Carmen ex Catalogo Forum Stadtpark Graz 1963.

*Jindrich Slaviček,* poeta Bohemicus huius saeculi.

**S. Kopriva**

## VERSUS SINENSES

### Liu-Yu-Si — A. Gradnik

### CVETKE — FLOSCULI

Haurio calices fortiter ebrius
En cinctus variis floribus undique.

Ne dicant timeo, nunc mihi flosculi:
„Scito hoc, non sumus hic pro senibus, bene!"

# B. CARMINA ET VERSUS AUCTORIS

**Silvestris Kopriva**

## VER — POMLAD

Ver arvis patriis dulcibus en adest,
Viget vita recens post hiemis gelu,
Manat per vacuum nectareus sapor,
Auras in tepidas terrigenae evolant.

Flores innumeri gramine germinant,
In ramis volucrum dulce sonat melos,
Spes in corde etiam nascitur anxio,
De caelo nitidus sol hilare micat.

Concentus volucrum concipio libens,
Suaves adspiciens gestio flosculos,
Vernam auram cupide sorbeo limpidam.

Ut cantus resonat mi tua vox simul,
Haeret mi ante oculos effigies tua:
Sum semper, gracilis virgo, tui memor.

Ljubljana, 1941

## AUTUMNUS — JESEN

Autumnus patriis dulcibus en adest
arvis atque hiemis mox veniet quies
naturaeque vigor vivificus perit;
tectum terrigenae iam tepidum petunt.

Flavens caesaries decidit arbore,
non flores varii nunc decorant humum
nec mulcent volucres aethera cantibus,
migrarunt alio penniger greges.

Nunc sol non tepide nos fovet igneus,
dependunt nebulae, solliciti dies
apparent. Boreas flat per agros ferus.

Atquí tristitia non ego deprimar,
laeta in corde meo iubila personant,
abs te donec amor, virgo tenerrima.

Ljubljana, 1941

## AESTAS I — POLETJE

Aestas núnc patriae én adést amoenae.
Plúrimúm retegít poténtiae sol.
Quae plantis dominatur, alma Flora
Spicis atque rosis suos adornat.

Umbram dant avibus quitem in horto
Arbores, saliente aqua sonat fons.
Porticus pedites petunt opacas:
Ast de tot ego tunc fui recordans.

Virgo me retinet dein vagantem;
„Heus, quo tendis iens modo, magister?"
Turbatus specio — „Renoscis haud me?
En, me discipulam tuam revelo —".

Namque eras meus educator olim.
Hoc genae tibi basium meum do —".
Qui fui, sed ego, magister eius —,
Matri tum iuveni manum osculavi.

Ljubljana, 1969

## K TEBI PRITI SI ŽELIM — AD TE VENIRE CUPIO

Per deserta vagans meat viator,
Defessus coquitur calore saevo;
Corpus ire negat siti premente,
In locum cupit herbidum venire.

Immitis pelago furit procella;
Navis ludibrium est atrocis aestus.
Instat nunc ab aquis ruina nautae.
O, servans ubi portus es quietus?

Ut locum cupit herbidum viator,
Qui deserta vagans peragrat ampla,
Sic ad te cupio venire ego usque.

Navem, quam regit in fera procella
Dux, portum placidum cupit subire.
Tu portus meus esto, virgo mitis!

Ljubljana, 1942

## PODOBO LJUBO OBJEMAJO OČI — CARAM HANC EFFIGIEM AMPLECTUNT OCULI

Insigni tabulae libenter adsto,
Cuncta in qua regio Slovena picta est,
Caram hanc effigiem soli paterni
Amplectunt oculi calore vivo.

Nota nomina sunt mihi legenti,
Perlustrat loca nota mens volutans
Inque iis breviter manet recordans
Grate et sic tabula pererrat omni.

Obtutus sed ibi meus resistit
Semper rursus, ubi mihi incitato
Maxime legitur suave nomen.

Nomen illius est loci, puella,
Nunc ubi pateris memorque vivis
Tu mei domus et tibi paterna est.

Ljubljana, 1942

Viro doctissimo

MILANO GROŠELJ

professori Universitatis Labacensis emerito,
diem natalem septuagesimum celebranti

Ordiris septem decies annos numerare,
Ex quo te genetrix terricolis tribuit.
In vita tua dura fuit via sorte parata,
Usque tamen certum propositum tibi erat.
Nec laudem nec divitias famamve petebas,
Maxima doctrinae sunt tibi gaudia adhuc.
Quis numeret voces, ortus quarum explicuisti.

Sermonis graeci, verum etiam Latii?!
Artes musarum graecas artesque latinas
Ardenter iuvenum tu docuisti animos.
En tibi discipuli celebranti festum et emici
Gratantur tecum laetitiae socii,
Omnia fausta tibi cupiunt nec non bona larga,
Musis langaevum munus adesto tuum.

Ljubljana, 1972

Viro doctissimo

MICHAEL PETRUŠEVSKI

professori Universitatis Scupiensis
diem natalem septuagesimum
celebranti

Bitola te genuit florens sub monte Pelister,
Lustra reples vitáe quáttuor atque decem.

Festa, bonum!, celebras, cum grata salus tibi servit,
Multa sequantur abhinc talia fausta tibi!

Musarum Graecas artes itemque Latinas
Flagranti iuvenes tu docuisti animo.

Hórum etiám Comméntariorum auctór fuerás tu,
Cum sociis operis strenuus excolis hos.

Almae rector erás quoque Scúpis atque decanus.
Usque vallens patriae floreat Alma tuae!

Antiquas tu réliquias sponte effodiebas.
Ipse Académiáe cónscius es socius.

Illiadem vertisti et Odýsseam speciosam
Dulcisone patrie cumque notis variis.

Voces resque Mykénaeás clare explicuisti
Scriptaque docta a té iam édita plurima sunt.

Ipse intérpres Aristotelis vocumque operumque
Agnitus es doctús ín patria átque foris.

Nomina namque locórum Gráecorum éxposuisti
  Mykenáearúmque ínsuper explicite.

Moscua te vidít et Zadar ibi scholam habéntem.
  Urbs ad Nevam sic átque aliáe pariter.

Suaviter abs te versa est ode dicta Latine,
  Lychnida magnificans, ista Makédonice.

Omne tuum studium, versiónes ac documenta
  Multa valent linguáe némpe Makédonicae.

Omnia fausta tibi cupimus nec non bona larga,
  Musis sit longum munus alácre tuum!

Ljubljana, 1981

## VERSUS

ad insignem occasionem celebrationis
anniversarii LXXV Collegii S. Stanislai
cum gymnasio in vico S. VITI M.
supra urbem

## LJUBLJANA

Collegii Sancti Stanislavi celebramus
  Festum gymnasii, laus quod erat populi.

Ter quina hactenus en quinquennia praeterierunt,
  Cum tu conditum eras, docta palaestra valens.

Multi ex te provenerunt homines venerandi
  Auxilio patriae, praesidio et decori.

Primum gymnasium fuit hoc in lingua paterna,
  Dum peregrinus ei publica iura negat.

Tantae molis erat Slovenum condere tectum
  Gymnasii, nam tunc lingua aliena regit!

Jeglič navus episcopus ille Antonius audens
  Auctor sic meritus de patria bene erat.

Gratia semper erit memor huic a posteritate
  Et cultus testi temporis historiae!

Ljubljana, 1980

## VERSUS URBEM LJUBLJANA HONORANTES

Aedicula en aedes-signum est in agro speciosa,
Exstat in hac icon conspicua effigies.
Non icon est haecce beatae Virginis almae
Nec santi, sanctae haec placita effigies.

Aedes-signum non est haec in agro speciosa,
Haec est namque meum cor calidum, tenerum
Et facies perquam sic haecce lepore repletum
Est Ljubljana mihi éffigies decoris.

Salve, candide flos, Ljubljana, domus peramata,
Vivas vigeas, sidera donec erunt!
Si possem, patriae te gemmam ad pectora totam
Adprimerem nec non oscula mille darem.

## ADNOTATIO

Duae strophae poetae Simonis Gregorčič carminis *Znamenje-Signum* latine redditae in 4 distichis, primo fuerunt in manuscripto ante subsequentia duo disticha, idque in scripto *Inscriptiones Latine in urbe Ljubljana.* In quarto disticho solum vox patria nomine Ljubljana permutata est.

Ljubljana, 1972

## VERSUS IN HONOREM OPPIDI POETOVIONIS ET AD MEMORIAM ANTONII SOVRÈ

Urbs tu, Poetovio, limen praestabile, salve,
Docti nos hominis excipis hic memores!

Urbs, quae praeteriti clari pulchrique futuri
Nobis monstrare et dicere multa potes.

Ulpia Romana es Traiana colonia dicta
Dravi portorium hic erat Illyricum.

Coenobium, quod erat, monumenta frequentia monstrat:
Mithreum, statuas, scripta Latina, cados.

Quis non Orphêum noscit clarum monumentum
Ad turrim templi, quod plateam decorat?

En, hospes, arcis museum nobile vise,
Inde est prospectus mirificus oculis!

Vinum tete huiusce loci corpus animumque
Recreat excellens arcis in hospitio.

Alloquimur tete, Antoni: iuvenes docuisti hic,
Hanc urbem scriptis tu celebrasti adamans.

Artes Musarum Graecas artesque Latinas
Ardenter iuvenum tu coluisti animos.

Sermonis patrii viresque decusque fovebas,
Eius virtutem dulcisonam et variam.

Poetovione magister erat Antionius ergo,
Septem annos apud hoc gymnasium docuit.

Lectiones nostrae quoque habebat in aedibus Almae
Atque Academiae dignus erat socius.

Atque alibi praeceptor erat, ut Karlovicensis,
Quondam ubi discipulus Branko poeta fuit.

Illiadem convertit Odysseamque celebres
Dulcisone et patrie cumque notis variis.

Explanat vates lyricos Graecos Latiique,
Sic etiam nostros et meritos alios.

Exstant eius tractatus et scripta diserta
Tempore de antiquo, de quoque tempore nunc.

Est Antonius alliciens historicus auctor,
Antiqui Graeci — nam ingeniosum opus est.

Versio suaviloquens sunt scenica dramata Graeca:
Bacchae, Phoenissae et Oedipus, Antigone.

Atque aliae versiones sunt: Plutarchus, Erasmus
Herodotusque, Platon, Plautus, Aristophanes.

Versa ab eo quoque sunt — namque in sermone Latino.
Francisci nostri carmina conspicue.

Aptandis de gymnasii libris meritus est,
Quam gnarus Lancem composuit Saturam!

Acti quam iucundi sunt gratique labores,
Dicere tum est solitus, quando peregit opus.

Ultra nam nemo — dicebat — posse tenetur.
Sic excusat se, namque modestus erat.

Nec laudem nec commoda enim famamve petebat,
Ei pol doctrinae gaudia maxima erant.

Porro musei est pars urbis vini apotheca,
Advena visitet hanc, hic mera Bacchus habet.

Splendida verum ubi sunt templi fastigia sancti
Fratrum Francisci? — Diruit omnia Mars.

In vicinia sunt tria singula fanula Mithrae,
Vasa, lucernae et aes, reliquiae veteres.

Fabella historica est — Sloven ex Poetovione,
Stanko quam scripsit; hic docuit etiam.

Caeparii — scriptor memorat Antonius alter —,
Hi caepam plantant non procul his in agris.

‚Filius' atque ‚Apud agricolas' sunt scripta Iohannis,
Fabellae et scenae. Discipulus fuit hic.

In bello hoc passis, pro libertate extinctis
Signa frequentia sunt sitque honor usque memor!

Poetovio, servet terram hanc fortuna benigna
Ac vigeat, donec Dravus erit fluvius!

Absque malis tuus hic populus crescat operosus,
Floreat et pollens pace bonoque fruens!

Ljubljana, — Ptuj, 1985

## UT CAELUM PROCUL — DALEČ KOT NEBO

Cum specto faciem tuam decoram,
Excidunt animo dolorque et angor,
Dulcem pectore sentio vigorem,
Qualem senserat haud adhuc meum cor.

At licet prope me suavis adsis,
Quin tuam teneo manum tenellam,
Somnium mihi tu modo es benignum,
Ut caelum procul, heu, mihi es serenum.

## HIEMS — ZIMA

Est arvis patriis dulcibus, en, hiems.
Ramos, tecta, solum nix tacite tegit.
Non vocem volucris devia avi refert,
Alis fessa volat languida per gelu.

Ninguit atque iterum trux boreas secat.
Sol iam nictat iners, mox nebulae sedent.
En senex trepidat languidus in domo,
Ad mensam dubius iam fodit in libris.

Suspirat querulus conspiciens foras:
„Nunc est ultima mi scilicet haec hiems!"
Audit haec operosa uxor et alipes.

Curis plena quidem verba alacris refert:
„Nequaquam cito tam subter humum petas,
Ver arvis patriis rursum erit obviam!"

Ljubljana, 1979

## AESTAS II

Aestas nunc patriae, en adest amatae.
Sol terrae radios serit calentes.
Nunc en pinguia sunt rosis vireta,
Maturas segetes vaga aura perflat.

In dumis avium cohors quiescit,
Inde non penetrat melos canorum.
In prato pila liberos relaxat;
Pristinorum ego verum eram memor tum.

Campanae sonuere tunc canorae,
Harum vox fluit excitans per auras:
Hac die celebramus, en, Mariam:
Salve, beata parens, Maria Virgo!

Quorum iam reminiscor, haec fugentur,
Solandus properem misellus ad Te!
Mater mira, Maria, nostra slave,
Tu regina potens, ave, benigna!

Ljubljana, 1988

## VERSUS

ad opportunam occasionem
III. FOEDERATIVI CONVENTUS IUGOSLAVICI
Societatis studiis antiquis colendis ac fovendis
in honorem grati oppidi
ŽALEC
eiusque viciniae: celebris loci
ŠEMPETER atque insignis oppidi CELJE

Salve, Žalec, excipiens nos, oppidum amoenum
Hac in valle vigens, qualem humulus decorat.
Žalec, octingenti anni iam praeterierunt,
Cum tua sedes haec commemorata fuit.
Insigne est: scuto rosa sunt alaeque aquilinae,
Folia argentea ad hoc, en, tria sunt lilii.
Iucunda oppiduli pars Slavo nomine dicta
Namque Benetke, quae scilicet urbs Veneta est.
Nam Savina erat et rivis hac terra palustris,
Múlta aqua adést in humó cónfluvio quoque adhuc.
Stat prope templum turris nigrans atque vetusta,
Hoc erat et circum moenibus hic datum enim
Intus in aede: *Memento momento omni monumenti!*
Rosterni parochi scribitur in tumulo.
Protinus in tabula Michaelis scribitur infra:
*Écce, Fui, non súm, éstis, at haud eritis.*
Ergasteria sunt hic multa et varia et ampla,
Campanas fundit hic opifex etiam.
Horrea grandia structa ad servandum hic humulum sunt;
Aedes textrinae stant etiam solidae.
Praeparat aedibus in propriis tractatio gnara
Et lectum condunt horrea siccum humulum.
Cui cervisia non nota est levis atque sapora,
Sobria potori, potio namque humuli?

Parvula F r a n c i s c i scriptoris fabula narrat
De caeco sapido, qui canit ad citharam.
Incipit hic cantum: *Vobis cantare volo nunc*
*Certe operae pretium grande humulum colere est.*
Navi I o h a n n i s domus in muro tabulam fert:
Culturae fautór ipse erat hic humuli.
À u r o r a ac g o l d i n g nunc hac in valle coluntur
Átque a t l à s fere adhúc trés species humuli.
Hac de valle etiam conscribit D r a g o p o e t a;
En fabella: *Pater, hic humulus meus est.*
Vénit R í s t o S á v i n híc ad luminis auras,
Musicus is fuit et dramata composuit.
Ést melicum éius drama celebris V i d a v e n u s t a,
Ad mare quae stabat, mollia lina lavans.
Historiae vixit s c r i p t ó r hic R a j k o magister,
Hac de valle refert, sunt quoque res variae.
Hác E m o n â Céleiám v i a s t r á t a ferebat
Romana ac porro P o e t o v i o n e m iniens.
Hic habitat dilecta p o e t r i a M e t a magistra,
Carmina séria habét, plura iocosa etiam.
Risus dicta potens scripsit puta: *Malus, Hiemsque*
***Et Cuculus, Rosa, Apis, Vulnera*** **triste melo.**
Hic conscribit tractatus librosque M i l e v a
De tutela humuli graminibusque aliis.
Multi sunt etiam meriti de rebus in arte et
Dé doctrína, quae res varias aperit.
Ž a l e c f r a t r e s sunt et K r u š e v a c, oppida grata,
Visitat et gaudet alter untrique flavens.
N o v o C é l j e prope ést castellum álta árte decorum,
Infirmorum núnc haec domus est refovens.
Non pocul hinc vicus Š e m p e t e r adest celebratus,
Rómanórum exstát n é c r o p o l i s celebris.
Nunc exstant tumuli nec non monumenta sepúlcrorum,
Olim quae terrá lápsaque et ábdita erant.
Hospes, restaurata vides haec omnia scite,
Nobilis, en, locus hic et speciosus adest.
Ecce s e p u l c r u m V i n d o n i i primum fuit istic,
Uxori Iulliae fécit id atque sibi.
Plures effigies insunt, plucherrima monstrat
Hérculem et Álkestém, est super et dominus.
Sunt porro P r i s c i a n o r u m miranda sepulcra
E n n i o r u m q u e etiám mágnifica specie.
Effigiés peramoenae insúnt verísque hiemísque,
Viniferi autumni ét aestiferi genií.
Mónstrat O r é s t i s res paries et I p h i g e n í a e.

Captat Faunus avéns, Nýmpha quatit renuens.
Altivoláns avis ásportat Ganimédem aquilína,
Tristis herúm raptúm áspicit hínc catulus.
Rapta Europa sedens in tergo est territa tauri.
Cervae instát canis, én, ác leo fortis equo.
Ornatu vario statuae sunt et simulcra
In monumentis his, signa decusque simul.
Stat minus alta Secundianorum cella sepulcri,
Matris cum pueró mítis inest facies.
Spectat saxificans ac saeva Medusa deorsum,
Ne sacras sedes foedet iniqua manus.
Sancti fertur vicus prisca paroekia Petri,
Hic pernóctasse ís bélligerans Bonapars.
Advena, te ducit via ferrea vel via strata
Celeíam celebrém, óppidum in hístoricum.
Haec sedes fuit olim Keltica namque Keleia,
Dein Celéiae síc nómen hoc óra vocant.
En, Celeia fuit domicilium municipale
Imperii Romae nomine Claudia tunc.
Museum est Celeiae tam locuples opulensque,
Conspicere id cupiás saepe diuque morans.
Horto in museí milliária Latína videntur,
Ut puta Traiani ét tempore de vario.
Hoc in museo permulta exstant monumenta;
Scribitur et duovír et Geniis variis.
Hospes, té leo néc non Maenas amoena salutant;
Noricus, en, milés ést decus inclutus hic.
Liberti Celeiae pleno nomine scriptae
Ecce sepulcrum stat effigiesque simul.
Nunc age Celeiae comitum conclave adeamus,
Én capitúm comitum húc óssa recondita sunt.
Haec clamant tacite: *Sic transit gloria mundi.*
Sed merita ac celebris gens fuit illa potens.
Stellae tres auratae sunt, quas area portat
Caerula, Celeiae est haec nota significans.
Celeiae comitum est vetus arx in colle supino,
Parte ruinae sunt, pars reparata patet.
Per scalas turrim Frideriki ascendere temptes,
Própter amórem ipse hic clausus erat vetitum.
Arcis amoenum adeunt spatium creberrima turba,
Prospectú gaudént, áere et hóspitio.
Oppido erant aevo medio tunc moenia structa,
Turres tres exstant nunc etiam veteres.
En digitus monstrat, fluvius quo turri in aquario
venerit, cum rapiens diluvies fuit hic.

Celeiae locus hic multo amplum confluvium exstat,
  Post regulationes nunc kataclysmus abest.
Non procul a fano fuerant aedes opulentae,
  Ostium restat et hoc: *Nec mihi nec tibi* sunt.
'Turkica feles' hospitiúm est, quod habét monumentum:
  *Hic Celeianor ést situs* atque alii.
Porta antiqua fuit illo atro diruta bello,
  Nunc hic museó súnt monuménta data haec.
Immensám vim caedes ét nostri tolerabant
  Exsilia et flammás ín regionibus his.
Omnibus his passis pro libertate peremptis
  Signa frequentia sunt sitque honor usque memor.

*

Omnia non possint numerarier, advena care,
  Ipse adeas visúm, sic recreas animum!
Res antiquae — fons iugis — praesentia ditant,
  Exstant et ducunt nempe ad humana simul.
Adiuvet hic atque hortetur coetus socius nunc,
  Adsit ut in ludis Graeca Latinaque res.
Donec erunt coelum Savinaque prataque nostra,
  Žalec, conservet te placidissima sors.
Prosperiter crescat cunctae populus regionis,
  Floreat et gaudens pace bonoque vigens.

Versibus de Žalec (Šempeter, Celje) adiunctae sunt plures et uberiores adnotationes (slovenice); versibus de Dubrovnik (latine); de Ohrid (slovenice simul in iisdem ipsis Commentariis Antiquitatis Vivae — ŽA in distichis elegiacis addita est etiam versio makedonica a dr. M. D. Petruševski concepta); versibus de Novi Sad (serbocroatice); de Pola (slovenice); de interprete B. Borko (latine, paulo minus); de poetis non Iugoslavorum (latine paula); de Poetovione slovenicae). In hoc libro editae sunt solum adnotationes latine conscriptae omnes vero adnotationes editae sunt in Comment. A. V. Skopje, item ac (scilicet in singulis Commentariis) cuncti versus et carmina (an 1954—1989). Adnotationes sunt certe penitus permagni momenti ad supplementum et perspicuitatem et cognoscendum praesertim de nominibus hominum memoratis in versibus, e. gr. In honorem Poetovionis et A. Sovrè, v. 57: Antoniuis alter scriptor s-s Ingolič. In honorem Novi Sad, v. 50.: dono Paulus-pictor Beljanski.

Ljubljana, sept. 1983

## V E R S U S

ad laetam et faustam occasionem celebrationis
X L annivesarii gymnasii conditi
in clara ac praestanti urbe

## T E R G E S T E

Sálve, gýmnasiúm, Slovénica, nóstra palaéstra,
Quod gaudens festúm gránde tuúm celebras!

Hactenus anni quadraginta praeterierunt,
Cum tu cónditum erás dé socium merito.

Tergestensis doctrináe domus álma vigensque,
Iúncta lycéo sínt ómnia fausta tibi!

Graeca in te nec non valide doctrina Latina
Proficit et concors artibus est aliis.

Res antíqua basís, pars, culturae, est nationis
Versis in praeséns átque futúrum oculís.

Salve et festa dies meliorque revertere rursus
Prospera gymnasio tempus in assiduum!

Multi ex te provenerunt homines operosi
Praesidio patriaé, laúdibus et decori.

Inter eos etiam sunt discipuli atque magistri,
Moribus qui superant, artibus, officiis.

Gymnasiúm migrat á maris ora cúmque lycéo,
Sancte Iohannes, húc nóminis ante tui.

Hic, puta, Vládimíri est nec non patria Ioseph,
Docti et scriptores: Godina, Bartol erant.

Huius adést situs úrbis amóenus magnificusque
Ac vicinia tám haéc placita est etiam!

Hic duo sunt populi Slavi simul Italicique,
Concordes socii, qui bene corde putant.

Quis nescit te, Jakob Ukmar, presbyter alme,
Fautor eras populi providus usque tui!

Carli sancti ad portus molem Kette poetam
Fascinat Adria vi solque ruens in aquas.

Carsi audit vatés Kosovél mela lúsciniarum
Hic monstrat saevum navifragum boream.

Pinus tu clamans Carsi audis murmura earum,
Hinc tollennonum raucisonum gemitum.

*»Urbs Tergeste, Phryges hic te posuere coloni.«*
Vates Zovenzon sic quasi scribere init.

*»Libera perpetuo esto tu, mea terra, tyrannis*
*Et duret collo nulla catena tuo!*

*Donec in arce beati Iusti signa colentur,*
*Hic patronus erit civibus omnibus his.«*

Nobilis urbs Hadriae, Tergeste, in litore, salve,
Quam visentes té láetitia afficimur!

Si possém, terram hánc dilectam ad pectora totam
Comprimerem nec non oscula mille darem!

Conservet te sors, urbs Trst—Triéste, benigna
Ac vigeas, donéc Hádria pontus erit!

Prosperiterque omnis populus crescat generosus,
Floreat hic una pace bonoque fruens!

Ljubljana-Tergeste
A.D. MCML XXXIII

VERSUS

ad laetam et faustam occasionem

IV. CONVENTUS VITAE LATINAE

diebus 1.,2.,3. Mensis Aprilis 1969 in pernobili et incluta urbe

AVENIONE

Nobilis urbs R h o d a n i curvato in litore, salve!
Quam visentes te laetitia afficimur!

Tu domina, A v e n i o, merito celebraris aquarum,
Namque D r u e n t i a iuxta hic fluit in Rhodanum.

A v e n i o, sedes artis, monstras memoranda:
Quis te noscere non atque videre velit?

Septem p o n t i f i c e s summi hic s e d e m tenuerunt,
A r c e m moliti magnificam nitide.

Propugnacula sunt, speculae, munimina, turres,
Fana, fores, pinnae, moenia, turriculae.

En intra scalae, monumenta, sacraria et aulae,
Atria, picturae, vestibula ac statuae.

Campanaria surgunt hic illicque decora
Et caelamina sunt atque domus celebres,

Coenobia atque aedes artis, palatia culta,
Bibliothecae te templaque mirificant.

Est V e r n e t u s I o s e p h hic pictor generatus,
Qui portus patriae pinxit et arva suae.

Editus hic est A u b a n e l vates T h e o d o r u s,
qui scripsit lingua, qua regio haec loquitur:

„P a s t o r" scenicus est ludus, mela „S e m i a p e r t u m
m a l u m g r a n a t u m" hoc eius amoena tenet.

Hic a P e t r a r c a visa est pulcherrima L a u r a,
Illa eius celebris femina carminibus.

Pons vetus insignis mutilus S a n c t i B e n e d i c t i,
A v e n i o n i s p o n s, qui decor urbis adest,

Non Rhodani fert amplius usque ad litora dextra,
Quattuor hos arcus tectaque sacra tenens.

Hoc in ponte, velut dicit carmen populare,
Saltant et ducunt multimodas c h o r e a s

Ac c a n t a n t iuvenes pariter pulchraeque puellae
Atque movent agiles ad sua verba manus.

Sed pontes alii coniungunt fluminis oras,
De quibus unus erat p e n s i l i s, artis opus.

Perque vias extra muros circum spatietur
Hospes corpus sic atque animum recreans

Ascendatque etiam scopuli viridaria grata
Cum variis plantis cumque viis placidis.

In scopulo hoc stabat mola venti quondam, uti monstrat
Claudi Gordoti picta tabella vetus.

Hinc mirandi prospectus praebetur imago,
Desuper aspiciens, advena, mira vides:

Hanc ad pectora, si possem, terram peramoenam
Comprimerem nec non oscula mille darem!

En findit Rhodanum spectabilis insula valde,
Flumen quod properans ad mare iactat aquas.

Turribus arcis cum geminis trans fluminis undas
Andreae Sancti moenia vasta nitent

Conspicueque Philippi Pulchri stat, nota terrae,
Ad ripam turris tam gravis et celebris.

Templum istic signum speciosum servat eburnum
Virginis augustae, quae tenet Unigenam.

Nunc in te Vitae conventus, cara, Latinae,
Avenio, quartus / cui subeant alii! /

Partibus ex mundi cunctis cogit studiosos,
Ne lingua Latii discipuli careant,

Propagetur ut in ludis doctrina Latina,
Quae quoque nobilitent atque colant iuvenes.

Avenio, te conservet fortuna benigna
Et vigeas, Rhodanus donec erit fluvius!

Gallorum crescat tecum populus generosus
Floreat et pollens, sidera donec erunt!

Ljubljana — Avignon, 1969

# VERSUS AD LAETAM ET FAUSTAM OCCASIONEM XIII. CONVENTUS EIRENES

## DIEBUS 7.—12. MENSIS OCTOBRIS IN PERNOBILI ET INCLUTA URBE

## D U B R O V N I K

Nobilis urbs Hadriae sinuato in litore, salve!
Quam visentes te laetitia afficimur!
Edixit réctor tum inituris comiter „Intrent",
Tu nos excipis hic atque vocas alios.
Gemma nitens tu Dalmatiae merito celebraris,
Dúbrovník, te quis scire, verende, nequit?
Coenobia atque aedes, artis, palatia culta,
Bibliothecae te témplaque mirificant.
Artifices, multi scriptores atque poetae
Te celebraverunt, ut puta Cunichius:
*Sergi saxa vides, hospes, praecelsa Rhacusae*
*Urbem et suppositis exiguam in scopulis.*
*Libertas huic pulchra tamen viget usque, coluntur*
*Usque bonis artes civibus ingenuae.*

---

**Versus 3.:** Rector Ragusinae Reipublicae e palatio Sponza (Divona), si variae legationes vel catervae histrionum vel sodalitates quaedem et similes urbem intrare voluerunt, verbo „Intrent" in publico pronuntiavit se iis ingressum in urbem concedere.

V. 6.: Dubrovnik: Apud Paulum Ritter Vitezović (1652—1713) in libro: Plorantis Croatiae saecula duo (1500—1700) in parte incendium urbis Varasdinae et terrae motum Ragusam demolitum tractante accentus in hoc nomine hexametro inserto in paenultima est (Alta Ragusa cadit [nostro sermone Dubróvnik]). In nostris versibus obtiniemus nomen Slavicum, ergo domesticum, propterea quod tale longe lateque vagatur et omnibus notum est. Accentus incidit ubique in tertiam a fine syllabam, idcirco scilicet et in ultimam (sed minore quadam intensione vocis), Dubrovnik igitur, (ergo ⊥ —⊥). Metri causa hoc nomen Slavicum etiam sine accentu in ultima esse potest (ergo ⊥◡◡) e. g. Dúbrovnik, úrbs Hadriae sinuato in litore, salve.

V. 10.: Cunichius Raymunds, Slav. Raimund Kunić (1719—1794).

V. 11.—14.: Ex Cunichii libro: Epigrammata, Encomiastica, De laudibus Ragusae patriae suae.

Libertas dulcis, pulcherrima caraque, donum,
Quo coelum nobis hic bona cuncta dedit,
Es certus radix nostrae tu causaque famae,
Huius nostrae urbis tu decor unicus es!
Non aurum, nec cuncti homines, nec divitiae omnes
Merces esse queunt digna tui decoris.
Extollit libertatem, sic Gundula vates.
Et nos, libertas, perpetuo foveas!
*Non bene pro toto libertas venditur auro* —
Arcis Laurenti scribitur in foribus.
Antea erant tormenta hic Phoenix atque Lacertus
Aes horum scripta haec metrica verba tenet:
*Mulciber haec cernens quaerit, quis finxerit, et mox*
*Btptista est, inquit, vincor, et erubuit.* —
*Iuppiter omnipotens iterum si perdere vellet*
*Crudelem gentem virbus ipse suis,*
*Nempe ego tunc Iove saevirem crudelius ipse*
*Vi, quam Baptista, en, praebuit arte manus.* —
*Haec nova Rhacusae finxit Baptista tuendae,*
*Nubibus erumpunt qualia tela cavis.*
Hoc cunctum telum fuit, urbs ut protegeretur,
At non ut quemvis subderet imperio.
Civibus hoc erat in votis et pacta struebant:
*Pax ades et toto mitis in orbe mane?*
*Turribus et duplicis vasto munimine muri*
*Cautibus et duris,* urbs, decorata viges.
Ad muros in parte orienti en hoc epigramma
Supra aditum scriptum est, Revelin arx ubi stat:
*Este procul, saevi, nullum haec per saecula Martem*
*Castra timent, sancti quae fovet aura senis.*

---

V. 15.—20.: Latine redditi ex Iohannis Gundulae (Dživo Gundulić, 1588—1638) poemate Dubravka.
V. 24.: Arx Laurentii — Lovrijenac.
V. 25.: Phoenix, Lacertus — bombardae Feniks, Gušter.
V. 28. 32., 33: Iohannes Baptista Arbensis (Ivan Baptist Rabljanin, ca. annum n. ae 1535). Dictum „opus Baptistae" in proverbium venit, ita ut in Dalmatia excellens opus significetur. Johan. B. fusor metall. fuit.
V. 38.: Ex Ovidii Fastorum lib. I. 712.
V. 39., 40.: Ex Aelii Lampridii Cervini (Ilija Crijević, 1463—1520) libro: De Epidauro, et id de futura gloria Rhacusae; proprius versus 40. est: Caùtibus ét duris praecisae ornábere fóssae.
V. 42.: Revelin arx (exstructa a. 1539—1551) iuxta angulum in parte orienti et septentrionali, arx St. Johannis (tvrđava Sv. Ivana, exstr. a. 1552—1557) in angulo moenium ad orientem et meridiem vergenti.
44.: sancti senis — s. Blasii, patroni urbis.

Multae sunt statuae Blasii tutoris honori,
Urbis qui tenet, en, effigiem manibus.
*Fallere nostra vetant et falli pondera, meque,*
*Pondero dum merces, ponderat ipse Deus.*
Hi versus, quos adscriptos habet aula Divonae,
Testes sunt certi iustitiae et fidei.
Iustitiae domus et fons est rectique bonique
Sic mirabilis urbs dicier haec meruit.
Aedes intremus rectoris, daedala tecta!
Nunc museum est hic: aspice res varias:
Vasa, urbis claves, documenta, insignia, vestes,
Lecticas, nummos, effigies celebres.
Tuta salus, spes, praesidium, haec inscripta Racusae
In nummis validi tum pretii fuerant.
Idem Cunichius cantat de prosperitate
Laudem sic dicens eximiam patriae:
*Copia nec rerum deest omnis; docta carinis*
*Currere nam ponti est gens vada velivolis.*
*Oblitus prvatorum tu publica cura!*
Qui monentur sic, consilia efficiunt.
Hic statuam Prazatti nobilis atria monstrant:
Mercator bene erat de patria meritus;
Rhacusae civis constans, dux navis et emptor
Unus ab urbe sua sic decoratus erat.
Sunt selebres fontes Onofri: parvus et amplus,
Coenobiorum etiam porticuum putei.
Coenobiique, hospes, medicinam vise tabernam:

---

V. 49.: Divona in lingua, vernacula ex graeca l. telonion (Ital, dogana), etiam Sponza appellata.

V. 59.—62.: Vide v. 10. et 11.—14.

V: 63.: Inscriptio proprie his vebris scripta est: Obliti privatorum publica curate. Mutatum scilicet metri causa.

V. 65.: Michael Pauli f. Prazattus — Miho(ča) Pracat(ović), ca. 1522—1607. Natus est in oppido Lopud insulae eiusdem nominis (Delaphodia), unius ex insulis Elaphitis in Ragusina Republica. Aevo XVI. in ins. Lopud prope 80 praefecti navis erant et ipsa insula ca. 70 naves hebebat, id est quarta fere pars totiius classis mercatoriae Ragusinae. Lopud erat tum pulchritudine, opibusque, rebus oeconomicis et nauticis atque artificio post Ragusium ipsum primum oppidum Reipublicae. In hac eadem insula Delaphodia habitaculum Kalypsus nymphae fuisse fertur. Ignatius Georgius (Ignjat Đorđić vel Đurđević, 1675—1737) scribit in epistula ad Georgium Matteium (Đuro Matijašević): ... Delaphodiae adlabimur ... Ubi dicta acceptaque ab incolis salute Calipsus nymphae habitaculum venerati ... recta contendimus in insulam nostram Iupanam (Šipan).

Totius Europae haec, scito, veterrima adest!
Prae fano Blasii est Orlandi pulchra columna:
Quae vexillum urbis celsa tenere solet.
Quid voluit etiam insolita haec monstrare columna:
Iuris mercatus iustitiaeque nota est.
In medio urbis Dubrovnik laurus viret arbor,
Sed non est laurus, Gundulae adest monument(um),
Ut clarum cantat carmen populare poetam,
Qui libertatem et glorificat patriam.
*Osmani dum fata canit miseranda tyranni*
*Gundula, quid valeat patria lingua, docet.*
*Illyricis namque ausus epos tractare Camoenis*
*Spem dat posse novam nascier Iliadem.*
Vates Ferrichius laudat sermone Croato
Cantantes, sic hunc atque alios etiam.
Rhacusae natus Zamagna poeta Latinus
Carmen Odysseae voce novat Latii.
*Multa etiam multis de rebus carmina finxit,*
*Quae fors cumque tulit quaeque Thalia dabat.*
Eximia scripsit solum sermone Latino,
Illyricam at linguam magnificat patriam.
*In te certe animae tres insunt: Maeonidae una,*
*Altera Theocriti, tertia Hesiodi.*
Glorificat popularis versibus hisce duobus
Higgia vatem sic, ipse poeta etenim.

---

V. 71.: medicina taberna — una ex veterrimis Europae (1318) in coenobio fratrum minorum. Vasa et alia alterius medicinae tabernae ex quondam hospitio Domus Christi in museo palatii rectoris spectanda proponuntur.

V. 73.—76: Figura Orlandi (Rolandi) signum est etiam libertatis et liberi arbitrii ac iurisdictionis (1418). Statua vel effigies eminens Orlandi ut tale signum in terris Europae septentrionalibus ad occidentem vergentibus usitata est, propterea vocabulum 'insolita'. Tamen ex altera parte veteres annalium scriptores Ragusini memoriae prodiderunt (nempe vetere fama et opinione adducti) virum manu fortem Rolandum carminibus celebratum et inclitum (exeunte saeculo VIII.) urbem Ragusium ab oppugnatoribus Arabis defendisse. In dextro cubito et in basi haec ipsa Racusana mensura signata est.

Vers. 78.: Gundulae monumentum, a sculptore Iohanne Rendić factum, positum est a. 1893.

V. 81.—86.: Versus 81.—84. ex Georgi Ferrichii (Đuro Ferić, 1739—1820) scripto: Ragusinorum poetarum, qui Illyrica lingua scripserunt, elogia, et id: Elogium Iohannis Francisci de Gundula de poemate inscripto Osman.

Conscripsit motum terrae illum, lugubre fatum,
Gradius atque urbi contulit auxilium:
*Casibus afflictae diris succurrite genti*
*Atque audite preces has miseras placidi!*
*Nemo adeo ferus est rerumque ignarus et hospes,*
*Qui non humectet dein oculos lacrimis.*
Ferrichius scribit: *Post flebile funus eodem*
*Haud trepidant cives ponere tecta solo?*
*Palmotta exitium patriae crudele canebat,*
*Mox renovata sui moenia Rhagusii.*
Rogerium quisnam nescit physicum astronomumque?
Eiusdem ingenio multa reperta patent.
In luna crater est unus nominis eius,
Non tantum tellus, luna virum hunc celebrat.
Floria Zuzoris ingenio formaque beanda
Laudari mulier nobilis haec meruit.
Docta poetria erat pingendique arte perita,
Gnavis et doctis praebuit hospitium.
Dubrovnik merito appellatur Slavicae Athenae:
Musarum altrix res publica libera erat.
Est nunc urbs praestans campus congressuum et artis,
Ludos aestivos turba frequens adit huc.
Darsius laetificat ludis scenalibus uber
Hospitum et indigenum nunc animos placite.
Locrum caeruleo caput effert insula ponto,
Non procul a muris ecce smaragdus hic est.
Huc ad grata vireta mari mox lintre veheris,
Advena, corpus sic atque animum recrees!
Porro alias supra muros circum spatieris,
Oblectatus eris hoc decus omne videns!

---

V. 87.: Bernardus Zamagna — Brno Džamanjić, 1735—1820.

V. 88.: Homeri Odyssea Latinis versibus expressa, Senae (Siena), 1777. Venetiis 1783.

V. 89., 90.: 1777. Zamagna. De se ipso suisque carminibus ex Epigrammatum libro (Multa etiam multis de rebus carmina fínxi).

V. 93.—96.: Georgius Higgia — Đuro Hidža, 1752—1833. Versus 93.—94 ex Epigramatibus IV: Si pereunt leto. Versus 93. proprie scriptus est his verbis: Bérnarde, ín te insunt tres (sc. animae — in superiore versu) cérte: Maeonidae úna. B. Zamagna Latine reddidit Homeri Odysseam, Theocriti Idyllia Hesiodi carmina.

V. 97.—102.: motum terrae die VI. mensis Aprilis, a. 1667. Stephanus Gradius — Stjepan Gradić, 1613—1683. Versus 100, 102. mutati sunt ex hexametro in pentametrum; proprie scripti sunt his verbis: Ét placidí vestrae miseràs au-

Turris Menzii inest muris sublimis et olim
Dixit spem scutumque incola eam trepidus.
Hospes, fac montem conscendas Sergium ad arcem,
Mirus prospectus porrigitur oculis!
Grata suburbia permultis villis decorantur,
Cum variis plantis, en, viridaria sunt.
Ex notis epigrammatibus hoc tale placebit,
Quod villae est horti supra aditum in Plociis:
*Este procul livor, lites, ambitio, curae,*
*Antra, hortos, scopulos pax colit atque quies!*
Non procul hinc Epidaurus erat, vestigia sedis
Graecae exstant, nunc est Zaptat, et is celeber.
Nos tempus, me deficiant quoque congrua verba,
Omnes si memorem cunctaque si numerem!
Seras horologi in turri sublimiter horas

---

díte querélas (supplicis-in sequenti versu) et alter versus: Ét lacrimís oculós non húmectávit obórtis. Versus 99.—102. deprompti sunt ex Gradii carmine: De laudibus Serenissimae Reipublicae Venetae et cladibus Patriae suae.

V. 103, 104.: Hi versus deprompti sunt ex Ferrichii libro: Ragusinorum poetarum, qui Illyrica lingua scripserunt, elogia. et id: Elogium Petri Canavelii de terraemotu Ragusino. Versus 103. proprie his verbis scriptus est: Quín loquor áttonitus: Post flébile fúnus eódem.

V. 105, 106.: Versus deprompti ex eodem Ferrichio libro, et id: Elogium Iacobi Ioannis Palmottae de poemate Ragusii renovati. Jacobus P. (Jakov Palmotić Dionorić, 1623—1680) filius uberrimi illius poetae scenici Iunii Georgii (Junije [Đono] Palmotić, 1606—1657).

V. 107—110.: Rogerius Iosephus Boscovichius—Ruđer Josip Bošković, 1711—1787. In luna crater: Londini in lucem eddidit commentationem: De solis ac lunae defectibus (1760).

V. 111.: Floria de Zuzoris — Cvijeta Zuzorić (1555—1599).

V. 119.: Marinus Darsius — Marin Držić (1510—1567).

V. 127., 128.: Turris Menzii — Minčeta, erecta in fundo familiae Menzii (Menčetić vel Minčetić) a. 1319, pulcherrima, elegantissima, magnificentissima turris munita in compositione munitionum ac moenium urbis, Incola tredus: sollicitus, cum hostes urbi appropinquarent eique oppugnationem minitarentur.

V. 129.: Mons Sergius — Srđ (412 m); arcem: Francogalli in summo monte arcem Imperial exstruxerunt (1808).

V. 134:. In Plociis — Ragusii suburbium Ploče, ad orientem spectans. Suburbium vero in parte obeuntis solis sunt Pile appellatae ab ingressu Pile (Pyláe vel Pillae) propius arcem Bokar in angulo moenium ad occidentem et meridiem vergenti; etiam hic ingressus conspicuus valde et magnificentior ponte, qui tolli et demitti potest, in urbem intra muros ducit.

Namque duo pulsant iam ecce viri virides!
Huc Eirenes conventus nunc tertius in te,
Dubrovnik, decimus (cui subeant alii!)
Partibus ex mundi multis cogit studiosos,
Ut propagetur Graeca, Latina quoque ars.
Dubrovnik, te conservet fortuna benigna
Ac vigeas, donec Hadria pontus erit!
Absque malo tecum populus crescat generosus
Floreat et pollens pace bonoque fruens!

V. 138.: Zaptat—Slavice Cavtat (Captat) ex noîine lat. Civitate. Adnotamus omnia nomina hominum ac locorum in forma Latina diligenter et accurate depromta esse ex praecellentibus libris Hrvatski latinisti I, II (Croatici auctores, qui Latine scripserunt. Collegerunt et digesserunt Veljko Gortan et Vladimir Vratović), Matica hrvatska, Zora Zagreb, 1969, 1970, nec non ex aliis scriptis.

V. 141., 142: duo viri virides: in turri (campanaria) municipali propter campanas duae figurae metallicae, lingua vernacula „zelenci" appellati.

Ljubljana — Dubrovnik julija 1974

## VERSUS

*ad opportunam et optatam occasionem*

## I. FOEDERATIVI CONVENTUS IUGOSLAVICI

Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem praestantis et nobilis urbis

## OHRID

Salve, Lychnide, pervetus urbs, praestabilis Ohrid,
Conciliantes nos comiter excipis hic!
Temporibus iam hic antiquis fuerant tua tecta,
Romae Egnatia dein hac via nota fuit.
Lucida es urbs miti coelo, regione venusta,
Litore, gente, lacu, proprietate, situ.
Gane poeta invitat nos: *Venias tum ad Ohrid,*
*Quando aurora, diés séra vel hesperus est!*
Urbis nomen músei quoque habére mereris
Templis, réliquiís, aedibus, arte, libris.
Hic in museo milliarius unicus exstat,
Qui consignatus nómine ‚Lychnidos' est
Inventa hic vestigia sunt veterum populorum,
Adsunt Graeca manú scrípta Slovénaque ad haec.

Amplum tempore nunc hoc Lychnidi ecce theatrum
Excavat ántiquúm sédula docta manus.
Cum Baccho Musisque hic sculptilis in tabula ecce
Romana effigies mira viderier est.
Hospiti et externis haec urbs vere est celebrata:
Perdives gazá est artis et historiae.
Hic sedem tunc a Clemente ecclesia habebat,
Qui fuit experiens discipulus Methodi.
Coenobia atque scholas condebat templaque multa
Una cum Naumo prospiciens populo.
Condita et hic ab eo prima est Academia docta,
Cum prius ipse notás instituít Slavicás.
Hic mitis Naumus populum docebat amicum,
Qui quoque erát navús díscipulus Methodi.
Insigne est fanum Sanctae Sophiae cathedrale,
Visu mirandum conspicientibus hoc.
Saepe instaurata est atque immutata per aeva,
Nunc reparata stat háec ínclyta sacra domus.
Muris sunt udo picturae inductae operosae,
Cerni coelestis gloria cuncta potest.
Gestae Téstaméntorúm res éxpositae sunt
Picturis lectis mirifico studio.
In convéxa absíde archangelus unus et alter,
In muro est navis conspicuus Gabriel.
En nixi genibus sunt angeli in ordine mites
Sursumque asumptum glorificant Dominum.
Sex sunt pontifices Románi in páriete picti et
Kyrillus Clemensque et patriarchae etiam.
Sunt alii sanctae, sancti picti atque profani,
Singula partim horum nomina scripta vides.
Ecce Theorianós scriptum únius angeli in énse
Iohannes nomen, qui quoque pictor erat.
Sancti Clementis monstrat venerabile fanum
In muris pictás effigies varias.
Quondam autem miranda Dei Matér Perivléptos
Fani praestantís húius erat titulus.
Nomine namque hoc hic signata icon speciosa est
Virginis augustae, quae tenet Unigenam.
Nomina pictorúm Michaélis et Eutychii item
Sanctorum in pallio picta videre potes.

Icones, én, multae sunt eximiae et pretiosae,
Lignea Clementis pervetus hic statua est.
Est Clemens alibi bis pictus tutor honorus
Urbis cum effigie, quam tenet ipse manu.
Eminet, en, in rupe ad aquas, ut mira corona,
Iohannis Kaneví daedala sacra domus.
Non cunctae effigies refici poterant speciosae
Templi, quod signum Lychnidi adest proprium.
Huic sex aevorum pulcherrimus est locus aedi,
Hinc mirare lacúm ét iubar occiduum!
Radoslavi hic in plateá est vatís simulacrum
Ohrid enim ín scenám prótulit is proprie.
Omnibus in fanis multis adsunt fere picti
Clemens et Naumus, tutor uterque loci.
Atria nunc sunt hic, quod mensa erat Imaret olim,
Templum aderat Turcís; séd prius híc adytum
Iam Clemens struxit sub nomine ‚Pánteleémon
Sanctus', qui medicus, martyr honorus, erat.
Coenobium fuit hic tum, ludus et apta palaestra,
Picturae, Cleméns músicus ipse fuit.
Et Domus infirmórum Európae príma fuit tunc,
Scripta edebantur, conditor auctor erat.
En, prope prisca aedes fuerát sacra Chrístianorum,
Nunc musivum opus est haud modice reliquum.
Hic semper ktitorés donatoresque fuerunt
Ad decus et cultum munifici patriae.
Marco rege datum est nummos hic cudere Gropae:
*'Gropa iupanus' pace Dei'* titulus.
Hic nummi iam cussi Graecis temporibus sunt
Cum signo lembi ét áegidis Émathiae,
In fano corpus Clementis nunc requiescit,
Iam ter translatum, nón procul a Sophiae.
Lychnide árchiepiscope, scíte, Théophylacte,
Vitam Clementis exposuisti agilis.
Templa aliquót Mahométanorum sunt quoque in urbe
Turris procera, en, nuntia sacra vocans.
Et Mahometi pauperum adest monachorum habitaclum,

Hajatis hic primi praesidis, en, tumulus.
Lychnidiús lacus hác, expanditur, ecce, profundus,
Pervetus hic lacus est insuntque animalia prisca
Ac plante et piscés ínnumeri varii.
*'Erepta Oceano quasi pars iactus lacus hic est*
*Hos inter montes, hoc mare dulcis aquae'*
Luce diurna flat ventus, qui mitigat aestum
Aestatis ripas effugiens ad aquas.
Spirat flatus rursum ab aquis tam vespere gratus
Et versus, dictús dóctor, id est medicus.
Exercendis corporibus per aquám lacus áptus
Hic et ludicrórum ád varias species.
Ex navalibus huc navem Semendria misit,
Sed portata illínc cómposita haud prius est.
En super urbem reliquias arcis Samuelis,
Indicum celebrís ímperii veteris.
Hic aestate patent scenae nec non Samuelis
Turbida permulcens pectora pacificat!
Hunc, hospes, collem conscendes laetus ad arcem,
Mirus prospectus porrigitur oculis.
Aspice montes, rura, lacum! Quam mira venustas
Turbida permulcens pectora pacificat!
Exstat adhuc insignis quondam Porta superna,
Quernae sunt valvae, ferrea lamina inest.
Pars vetus úrbis museum est circúmdata muris
Partim, sed nova pars plana patensque nitet.
Inque foro iam mille annos, mirabile visu!
Tam celebris crescit nobilis haec platanus.
Ingens ést truncús cavus út pervadere possis,
Intra stare etiam parva caterva potest.
Est schola, quá ligni scalpendi traditur ars hic,
Haec sollers operum fabrica nobilium.
Mercatum visas, hospes, cuncta ínveniés ac
Lychnidias gemmas et soleas patrias!
Quaeras, advena, de gemmis, num sint mera merx hae:
Sic: nempe ex squamis pisciculi proprii.
Tamque domus structae sunt hic, ut sol sit et áer
Prospectusque lacus et regionis ad hunc
Spectanti seu dé podio álto deve fenestra,
Talis structurae est usus et utilitas.
Aestas Lychnidia ac Balcanica sunt quoque festa,
Ars tum musica nos scenaque laetificat.

Sunt ludi cantusque, chori — popularia festa —
Mirificae vestes, pompaque multicolor.
Quam praedixisti, docte Antonine sacerdos,
Huic urbi nostrae est núnc bona prosperitas.
En statuae vatúm bellátorumque per urbem,
Qui libertatem contulerant domui.
Gregorius fuit, 'ílle inopúm defensor et ultor',
Interpres fidús, fáutor amans patriae.
Scrutans atque studens delectabatur Homero,
Rege poetarúm, ípse poeta tener.
Cum tulípis dónatís est publicus hortus
Cumque crocís aliísque ínnumeris Batavús.
En fontes rigui Biljanae sunt apud urbem,
Lina albans virgó fundit ab ore melos.
*Lina albat Biljana ad fontes Lychnidiae orae',*
Sic animum carmen hoc populare movens.
*'En vinarii itant inde ex pago propiore,*
*Heus, vinarii iens agmen, amabo, frequens*
*Ducite perquam mánsueté, ne sic mea lina*
*Calcetis, dono quae tribuam puero!'*
Est sita non procul hinc peramoeno in litore Struga,
Illuc, hospes, eas, namque placebit iter.
Hac, ubi nunc Struga est, quoque erat tum Egnatia dicta,
Antiquo Patrae tempore ibi fuerant.
Spectabis varia et museum visito notum.
Quod dono navús ille dedit medicus.
In linguis compluribus audis carmina Strugae,
Proelia quando supér pónte poetica sunt.
Exque lacu flumen Driló niger éffluit illic,
Multum anguilla vagans salmoque inest fario.
Strugae sunt nati fratres Demetrius atque
Constantinus, quí sic cecinit patriam:
*'Ilic sic aurora fovet animam cupientem*
*Ac post culmina sol occidit ignicomus.*
*Vi decus illac naturae dispergitur omne,*
*Praebetur oculis effigie varia.*
*Limpidus ecce lacus splendescit et albet amoene,*
*Iam fusce vento caesius efficitur.*
Carmina collegére ambo popularia multa,
Mores quae monstrant ac celebrant patriam,

Scriptor Strugae filius est et Vlado poeta,
Eius nunc patriús hymnus ubique sonat:
*Salve, libera nostra domus, matercula mitis,*
*Res nostra et victrix, laeta, Makédonia, es!*
Dein fanum Naumi quoque vise monásteriumque,
Hospes, gaudebis, nave veheris eo.
Fanum Naumi reliquiis sancti hoc requiem dat
Insuntque éffigiés ícones ét celebres.
Monstrant picturae vitam et miracula sancti;
Terpus is Albanús pinxit eas meritus.
En etiam Clemens, Kyrillus frater et eius
Adstantes Naumi funereum feretrum.
Non procul a Naumi fano est Drilonis origo
Perque lacum terráe méta Tiráneae adést.
Multa licet possint exponi, nos tamen hora
Iam finire iubet, quae memoranda manent.
Ohrid, primum vénimus huc ad te studiosi,
Ut doctrína scholás róborat ac foveat.
Partibus ex cunctis patriáe sumus híc numerosi,
Sic animos ditas, corpora vel recreas.
Lychnide, sit tibi felici fortuna benigna,
Donec in hoc coelo sidera splendida erunt!
Absque malis populus tecum crescat generosus
Et vigeat polléns páce bonoque fruens!

Ljubljana — Ohrid, 1977

## VERSUS

ad opportunam et optatam occasionem
II.FOEDERATIVI CONVENTUS IUGOSLAVICI
Societatis studiis antiquis colendis ac fovendis
in honorem praestantis et nobilis urbis

## NOVI SAD

Salve, tu florens praestabilis urbs Neoplanta,
Ad ripam grandis Danubii dominans!

Tot, Neoplanta, artis sedes, monstras memoranda!
Quam visentes te laetitia afficimur!

Novi Sad, Neustaz atque Ujvidek et Neoplanta
Sic dicta urbs chartá libera regis erat.

Tres turres insigne urbis, pratum fluviusque,
Non sine oliva albens ecce columba volans!

Multae aedes artis, muséa, theatra, palaestrae
Bibliothekae té templaque mirificant.

Ut sedes artis Musis et dedita doctis
Serbicae Athenae tu dicier ipsa meres.

Cui non hic nota est communis 'Steria scena',
Hanc artem monstrans artificum patriae?

Urbs etiam dat 'Nomine Zmaj ludos pueriles',
Nempe quotannis hís copia gaudet ovans.

Hic est dulce theatrum imitantis cuncta choreae et
Cum ludo Teutá scena fuit Labaci.
Ergasteria sunt varia hic, navalia, victus,

Urbs haec dives opum est in regione caput.

Hic sunt grandes mercatus, quibus omnis adest merx,
Utilis imprimis machina ruricolis.

Advena, „Danubius" tibi sunt aedes adeundae,
Pastam, panicium, crustula conficiunt.

Alma est circum urbem tellus ditissima frugum,
Quo fert cumque oculus, praedia cuncta vides.

Si sereres globulos, dein quiddam cresceret ex his,
Dicunt vulgo, adeó fértilis hic ager est.

Expressa est ope lucis píctura éelianthon:
Ecce soli lati prosperitas et opes!

Hanc latam Neoplanta namque Zagrabia monstrat
Effigiesque alias partibus ex patriis.

Hic Iohannes est natus vates medicusque
Multa tulit nec nón fécit amans patriae.

„O quam pulcher hic est mundus, flos hic, ibi rivus,
Fertilis hic ager est, pomifer hortus ibi!

En solis radii, viridans hic te vocat umbra,
Auro confertus Danubius fluit hic!

Gramen ibi, frutices hic sunt philomelaque cantat, —
Quam cupide mirans audio cum socio!"

Nos confortat et instimulat vir candidus ille:
„Surge, age, certa ac né deficias animo!"

Et patriam dicit Neoplantam Mira poetrix,
Versibus imprimis laetificat subolem.

Lecta carmina sunt etiam: 'Tria tempora veris'.
His numeris scriptísque afficimur teneris.

Pictorum collegium habens pictor Basilíus
Per primates sic dictus erat populi.

Spectabis lectas picturas hospes amice
Quas dono Paulus strennus ille dedit.

Templa, palatia praesulis atque aedes decorarunt
Prisci pictores, Paulus et Arsenius.

Natus sculptorum caput ille Georgius hic est,
Sunt monumenta eius signaque et effigies.

Cantor natus in hac est urbis parte vetusta
Ipse Georgius ille atque poeta simul.

Eius cantica, ut haec: 'Ignosce mihi' atque 'Marina'
'Christophorus' nugax, 'Cor mihi', 'Primus amor'.

Concentus Neoplantae et scenas exhibet aestas,
Picturas, ludos atque choros varios.

Ecce Forum libertatis — mirabile visu —,
Ad monumentum aditus quinque viis patulus!

Eximiusque invitat publicus hortus ibique
Sunt flores, lapides, ligna, lacus, statuae.

Insula piscatoria porro te manet, hospes,
Fac tentorium habens, sunt quoque ibi casulae!

Sed quid sic trepitas, fluvie, esne memor nam etiam nunc,
  Quando sepúlcrum túte ésse coactus eras?

Pagus et arx est trans pontes Petróvaradini,
  Cusum Romano tempore vicus erat.

Arx ingens haec et celebris, nunc grata sodalis
  Est ad Danubium, flumen hoc ecce potens.

Deversoria et atria sunt, muséa, vireta,
  Hospes, corpus sic atque animum recreas!

Hinc mirandus prospectus praebetur aperte,
  Desuper aspiciens, advena, amoena vides!

Hanc ad cor mihi, si possem, terram speciosam
  Comprimerem nec non óscula mille darem.

Et Semendria nunc ipsum memor est Neoplantae,
  Sed quidnam ílli urbí cum Neoplanta adeo est?

Illic interiit Neoplantae nempe caterva
  Scenica, quando dies horridus ille fuit.

Quinto Iuni lecta quotannis scenica turba
  Haec it eo sociis ad decus exanimis.

Tenditur Almus mons in dextro litore, tale
  Huic iugo Romáe témpore nomen erat.

Alme, dedisti, mons, quondam marmor rutilum, ex quo
  Est Diocletiani structa domus Spalati.

Re vera mons almus hic est, ubi florida prata
  Ac vineta virent, pascua, rura, nemus.

Hic patet Europae tiliarum maxima silva,
  Quae paradisus apum, melligeri agminis est.

Ambulat autumno clivis gaudetque viator,
  Pampinus en ardens, multicolor cotinus.

Alme, monasteria abdis, mons, in saltibus imis
  Virtuti, Musis atque hominum requiei.

Salve monásteriúm, tu nobile Krušedol, usque
Te mons salvum etiam nunc habet in gremio.

En undis ad tete salutem fert, Neoplanta,
Ilok vitigenus, Cuccium erat Latium.

Non procul hinc est oppidum amoenum Karlovicense,
Monti subiectum créscito pácifice!

Ipsum illic praestantis gymnasii veterisque
Discipulus quondam Branko poeta fuit.

Et prope stat praesigne sacellum, ubi Karlovicensis
Pax inter Turcas Austriacosque inita est.

In iugo tumulus—monumentum insigne poetae est
De saxis terris omnibus ex patriis.

Heus o móns, alis ípse melos tu dulce volucrum!
Heus o rus, splendés grámine, rore frequens!

Iugum móntis hoc ést en Stražilovo venustum,
Quale memor decoris Branko canit lepide.

„Multis, Strážilóvo, fuisti adeo celebratum,
Mirum suaveque tam magnificatum etiam.

Multi dicebant: Est hoc species paradisi,
Sed tamen út mihi tú némini amatum habitum es"!

Haud procul hinc monumentum ingens in vertice surgit
Sic bellatores pro patria celebrans.

Pro passis cunctis, pro libertate peremptis
Sacra silentia sint et honor usque memor!

* * *

Multa licet possint alia exponi, tamen hora
Nos finire iubet, quae memoranda manent.

Hic noster conventus nunc studeat docilis, ne
Antiquis rebus discipuli careant,

Propagetur ut in ludis res Graeca Latinaque,
Haec quoque nobilitent atque colant iuvenes!

Gratificans fatum conservet te, Neoplanta,
Ac vigeas, donec fluvius iste fluet!

Prosperiter crescat tecum populus generosus
Floreat et pollens pace bonoque fruens!

Ljubljana, 1980

## VERSUS

Ad laetam et felicem occasionem
CELEBRATIONIS CLXXXV ANIVERSARII
CONSTITUTI GYMNASII
in insigni oppido

## SREMSKI KARLOVCI

Salve gymnasium praestáns Karlóviciense,
Quod laetum celebras splendida festa tua!
Sunt quinquennia iam septem et triginta peracta,
Ex quo tempore tu, docta palaestra, viges.
Multi ex te provenerunt homines venerandi,
Vixit et in gremio Branko poeta tuo.
Usque in te iuvenes dein artibus instituuntur
Praesidio patriae, laudibus et decori.
Non procul a tumulo vatis felix peramoeno
Monti subiectum crescito vinifero!
Atque tui cives vivant Karlovicienses,
Oppidum amatum etiam floreat usque tuum!
Hic natus scriptor gestorum est atque sacerdos
Iohannes doctus de patria meritus.
En in museo titulata est eius imago:
'Ora vides, mentém scripta videre dabunt'.
Arx ingens vetus et celebris tibi grata sodalis
Est prope Danuvium, flumen hoc ecce potens.
Urbs in Danuvii laevo sita litore clara,
Quam Musae studiis excoluere suis,
Et florens et dives opum populosaque valde
Artibus atque fide est iuncta propinqua tibi.
Cumque poeta dulciloquo volo vociferari:
‚Oppidum amábile Karlóviciense meum!

Si possem, pulchram terram hanc ad pectora totam
Comprimerem nec non oscula mille darem!'
Salve et, festa dies, meliorque revertere semper,
Prospera gymnassio tempus in assiduum!

Ljubljana — Sremski Karlovci, 1976

## VERSUS

ad laetam et faustam occasionem
CELEBRATIONIS XC. ANNIVERSARII
GYMNASII CONDITI
In pernobili urbe

## CETINJE

Salve, gymnasium praestabile Cetiniense,
Quod laetum celebras grandia festa tua!
Anni iam triginta adhuc ter praeterierunt,
Huius cum clarae tu decor urbis ades.
Multi ex te provenerunt homines operosi
Vixit et in gremio Janko poeta tuo.
Atque Georgius ille fuit, quem tu docuisti,
Cuius nomine nunc iste tibi est titulus.
Iste poeta sagax popularis Cetiniensis
Occidit, ut patriae libera terra foret.
Aedes usque tuae serventur sorte benigna,
Tu vigeas donec Hadria pontus erit.
Non procul a tumulo vatis Petri scopuloso
Monti subiectum crescito conspicuum!
Spiritus et voces generosi antistitis huius
Usque regunt proles atque animos penetrant:
Si meret in terra patria quis nomen honorum,
Est hic ei terra iusta gradi ratio.
Constans est animi dulcisima potio virtus,
Qua virtute hominum est ebria progenies.
Urbs tua, gymnasium, celebris monstrat memoranda,
Quis hanc noscere non atque videre velit?
Coenobia atque artis sedes et bibliothecae
Et monumenta simul plurima sunt varia.
Eminet effigies patriae totius in aula,
Valde mirandum est hoc opus artificis.
Euge tui cives crescunto Cetinienses,
Urbs dilecta etiam floreat usque tua!

**Janko Djonović**

## QUIES ROSEA...

(Spokoj ružičasti)

Versus ex carmine, quod primum
typis exscriptum est editum in commentariis
litterariis „Lovćenski odjek" in urbe
CETINJE

Ecce quies rosea est. In culmine ibi moritur sol,
Ut candelae consumptae iam exstinguitur eius
Postremus radius scribitque polo „Vale, munde!",
Vespera dum campana sonat tenebraeque propinquant.

Ljubljana, 1970

## VERSUS

ad opportunam occasionem
IV. FOEDERATIVI CONVENTUS IUGOSLAVICI
Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis
in honorem praestantis et clarae urbis

POLAE

Urbs Hadriae, Pola, praecellens in litore, salve!
  Sedem miram dát Histria terra tibi.
Huc, Pola, venimus, en, ad te perquam studiosi:
  Vis doctrinae nós róboret ac foveat.
Partibus ex cunctis patriae sumus hic numerosi,
  Sic animos ditas corpora vel recreas.
Propagetur et in ludis res Graeca Latinaque,
  Haec quoque nobilitent atque colant iuvenes!
En Pola scribitur in Divina a Dante poeta,
  Ad prope Quarnarúm háec iacet urbs Hadriae.
Quísnam urbís non noscit moles amphitheatri,
  Nomen Arenae fert, magnificum est opus hoc.
Concentus et pelliculae spectacula ac scenae,
  Coetus audire ét hícce videre potes.
Emo senator erat, vetuit nempe asportari
  Hinc lapides aliquó ád fabricándum alibí,
Servavit sic hic Venetus semeion hoc urbis
  Deque solo nostró ést meritus patrió.
Romae et Augustí vide adhúc templum decus urbis

Namque forum fuit híc cúm statuis variis.
En plateae spatium patet hic, ubi vivida vita est,
Atria mercis sunt, curia Gotica stat.
Aevo Romano fuit Iulia tum Pietas urbs,
Voce Colonia dein Iulia sic Pola fit.
En habet urbs archáeologúm museion opimum,
Hunc totum monstrát ín tabula titulum.
Hic sunt sarcophagi statuaeque aes, busta, lucernae,
Fictilia ádsunt ác vítrea vasa simul.
En hic effigiem sphingis, quae spectat in aula,
Insigne est nostrúm núnc venientibus huc.
Sunt propriae numerosae inscríptionés glagolitae
Hic in museó átque Brionibus his.
Advena, museum post retro vise theatrum
Antiquum minus hoc — reliquias celebres!
Hic collucens est monumentum en: Aurea porta —
Arcus Sérgiorúm, quos populus celebret.
Iussit pórtam hanc pónier altam Salvia Sergi,
Supra scriptum stat: Salvia Postuma dat.
Herculis et Portam geminam, scis, esse videndas,
Portam illam decorát Hérculis effigies.
Octogôni Mausôléi est hic prope Portam
Fundamen geminam, reliquiae solidae.
Castellum in tumulo Veneti struxere supernum,
Subter sunt, constat, reliquiae veteres.
Musivo picta, en, templi ‚Formosa Maria':
Christus pacificus claviger atque Petrus.
Hoc musivum nunc in coenobio est Seraphimo,
Non procul a platea, curia quam decorat.
Quaere, hospes, musivum: Castigatio Dirkes,
In fundo villae sub platea positum est.
Pervetus, hospes, vise Polae templum cathedrale:
En musiva, arcús, éffigies, titulos.
Práesulem Hándêgísium tum ét regém Lodovicum,
Aevi ter trini tympanon hic memorat.
Exstat nunc partim murus non multa superstes,
Extra múros túnc rústici agri fuerant.
Arae multae sunt, quarum Boriáe sacráta est,
Numen vénti est, quém nómine, ‚bura' vocant.
Iohannis prope fanum Nympheum fuit urbis,
Fons fuit eximius, num quis egebat aqua?
Turma Briónes sunt septem bis insulae amoenae,
Hospes, quas adeas, multa videre potes.
Est templum Veneris, fanum quoque Virginis almae;
Museum, villaé vásaque sunt, statuae.

Hic horti decorantur floribus arboribusque
  Miris et variís átque animalia sunt.
Advena, vise N e s á c t i u m, (cástellúm vetus arxque),
  Milia quód octo dístat ab urbe Pola,
Plúrimae adinventae hác Romanae reliquiae sunt:
  Thermae, sacra alia ét, móenia, templa, domus.
Lucius aram Torius en hic sacrificavit
  Eiae clementi, quaé dea nam híc patria est.
Non procul hinc satus és, M a t t h a é e, poeta honore,
  ‚P l e n a  P o l a est' tuus est hic liber historicus:
‚Helladis huc olim nautae et venere carinis;
  Decreverunt túm: Écce manebimus hic!
Plena est fructibus en aviumque haec terra ferisque
  Piscibus et silvis, rubraque terra ferax.'
Hicce Polaé speculae ástrorum rector fuit olim
  P a l i s a  I o h a n n e s, astronomus celeber:
Plures inde planétoidés detexit aperte.
  Binis nomina nunc cúm Pola tum Hístria sunt.
His de proeliis ac pro libertate peremptis
  Museum est etiám árcis in aedibus hic.
Multae súnt fabricaé quin et navalia bina,
  Urbs operosa vigét hóspitiumque frequens.
Multa licet possint alia exponi, tamen hora
  Nos finire iubet, quae memoranda manent.
Urbs Pola, semper te servet fortuna benigna,
  Tu vigeas, donec Hadria pontus erit.
Prosperiter tecum crescat populus quoque navus,
  Floreat et pollens pace bonoque fruens!

Ljubljana — Pula — Pulj, 1986

## AD DOMNUM FRANCISCUM BULIĆ

(50. anniversario obitus)

Quinquaginta anni iam praeteriere fugaces,
  Cum, Francisce, ex te spiritus iste abiit.
Nunc conventus noster adest hic ecce Spalati
  Atque Salonis, quae nam tibi dant requiem.
Visitur hic etiam tua Tuscula villa venusta,
  Quam decorant multum sermo Latinus et ars.
Rerum gestarum scriptor operosus et fidus,
  Doctus et antiquis rebus apertus eras.
En Salonae post Romam veniunt celebratae
  Imprimis, deque hoc es meritus bene tu.

Nempe tuo studio lux dicebare Spalati,
Indagator agens, semper honorus ades.

Terram deinde tuam servet fortuna benigna
Ac vigeat, donec Hadria pontus erit!

Absque malis tuus hic populus crescat generosus,
Floreat et pollens pace bonoque fruens!

Ljubljana-Split, 1984

## V E R S U S

ad laetam et faustam occasionem

CELEBRATIONIS CCCLXXX ANNIVERSARII
gymnasii conditi in preastanti ac clara urbe

Z A G R E B

Salve, *gymnasium* praestabile Zagrabiense,
Quód rursus celebrás édita fésta tua!
Iam triginta octo decennia praéterierunt
Urbis cum clarae tu decor huius ades.
*Zagreb* urbs, quae protegeris *Medvedniza monte,*
Quam visentes te laetitia afficimur!
Sedes es dupléx, loca nám fueránt duo iúncta:
Sunt *Graecensis mons Capitulumque* simul.
Urbs tua, gymnasium, celebris monstrat memoranda,
Quam quis noscere non atque videre velit?!
In parte Altae urbis nec non summissae etiam sunt,
En, partim *turres, moenia* quin remanent.
Urbs habet Alta beati *Márci* hic ét *Catherinae*
Aedes sacratas, *Pórtam* etiám *Lapidis.*
Effigies antiqua *beatae Virginis* extat
Intra Portam, quo turba venit precibus.
Ad Portam, specta simulacrum nobile *Dorae,*
Aurificis sata quáe *Krupicii* fuerat.
Clavicularia blanda puella haec Dora vocatur
*Aurumque Augustí aúrificis* legitur.
„Húnc suprá veterem Montem Graecénsem adamátum
Sicut fortis vir pulcher et egregius,
Audax ac iuvenis constans, firmus, generosus,
Zagreb, stas praestans, sancta tibi bona sint!"
Aúgustús quodámmodo síc urbém celebrabat,
Zagrabiae princéps ílle *poeta* fuit.

Délubrum prope stát Catherinae regia *Dverce*
*Gymnasiumque* vetus, quod fuit hic etiam.
Hic sculptor *Franciscus Robba* altária fecit,
Qualia *Labaci* struxerat ipse etiam.
Regis férvent(i) ínsigni, *Gubecie*, turbae
Prae templo Marci, dux redimitus eras.
In tecto templi sunt bina *insignia* picto,
Ecce Croáti(ae) inést atque Zagrábi(ae) ováns.
Urbs habet inferior multum miram cathedralem,
Turres has gothicas iam procul aspicimus.
Ante theatrum *,Fontem vitae'* vise *Iohannis*
*,Votorum'(que)*, hospes, munific(um) in *platea*.
Dónatóres, pictores vari(i) atque poetae
Te decorant nec non *Mimara* magnanime.
In centrum cultús uníversiade novatus
Zagreb humani est, artis et urbs dêcôris.
Prospera sit uníversiás ludive studentum,
Zagreb semper adest atque erat urbs *iuvenum!*
Hic vivat *Gaspar Mattheus: quinquies* orbis
*Miliardesimus* est incola terrigenum!
Student(um) hóc annó regió Zagrabia mundi
*Rei gymnastik(ae)* adest, turba frequens aderat.
Docta *palestra* vetus studii domus ac domus alma,
Gaudemus, quod nos colligis hic celebrans.
En, tractare volunt hic *classica studia* docti,
Coétus hic ést gratús, fertilis et placitus.
Multi ex te provenerunt homines venerandi
Praesidio patriae, laudibus ac decori.
Graeca in té nec nón valide doctrina Latina
Proficit et concors artibus est aliis.
*Res antíqua* basís pars cúlturaé est nationis,
Versis in praesens atque futur(um) oculis.
Salve et *festa dies* meliorque revertere rursum,
Prospera gymnasio tempus in assiduum!
Zagreb, si possem térram hánc ad pectora totam
Comprimerem nec non oscula mille darem.
Aedes usque tuas servet fortuna benigna
Ac vigeas, donec *Savus* erit fluvius!
Et crescat cum te praestans urbs Zagrabiensis,
Vivat et hic populus, *sidera* donec erunt!

Ljubljana — Zagreb, 1988

# IUCUNDI SUNT ACTI LABORES

(Ura pouka latinščine)

Tres in clase sedent: sunt Stanko, Vesna, magister,
Tres coetum hi faciunt; doctrina est: lingua latina:
Se totos, qui adsunt, mox abdunt in medias res:
Consistunt voces similes ut píla piláque.
Si vis: Lude pilá, pila follis, píla columna est.
Ne confunde vires, virus, viresque virosque!
Sunt cives populús, celsissima pópulus arbor.
In silvis leporés, in verbis quaere lepóres.
Pars labra sunt oris, sunt labra liquore repleta.
Latae sunt mali, mali sunt navibus alti.
Clava ferit, clavus firmat clavisque recludit.
Si vitare potés, ne plurima pocula pótes!
Gaudet uterque paréns, si filius est bene párens
Est acer stimulus, in silvis est acer arbor.
Ni sit certa fidés, non cuiquam tu bene fídes.
Nítere cum studio, si vis aliquando nitére!
Deinde legunt: M e l i u s l a e d i e s t q u a m l a e d e r e quendam.
Idcirco melius laedi quam laedere certe est.
„Nunc, uter exponet nobis, cur hoc melius sit?"
Vesna puella cito dicit: „Namque est sine culpa!"
„Ais, sapiens, perquam bene, Vesna, futura magistra!
Idcirco melius laedi quam laedere certe est.
Dedecore óblitus est, quicumque oblítus honoris."
Tum scribunt, vertunt, dictant recitantque sodales.
Tintinabula iam resontant: est terminus horae.
Classibus ex cunctis veniunt pueri atque pucllae
Contenti simul omnes sunt abeuntque quietum,
Parve pilá lusum partimve famem moderatum. —
A c t i quam i u c u n d i s u n t gratique l a b o r e s!

**Adnotation:** Inter hos versus homonyma et homoeonyma continentes etiam sunt novem (Ne confunde; Sunt cives; In silvis; Clava; Si vitare; Gaudet; Ni sit; Nitere; Dedecore) — notissima quidem exempla huius generis-deprompti ex Grammatica latina, germanice conscripta a Dr. F. Schultz. Paderborn 1857.

Tergeste — Trst — Trieste, 30 VIII. 1974

# VERSUS

ad laetam et faustam occasionem
QUINGENTESIMI ANNIVERSARI
CONSTITUTI COENOBII S. DOMINICI
ORDINIS PRAEDICATORUM
IN CONSPICUO OPPIDO BOL
IN I. BRATTIA SITO

Salve, preastans coenobium Bolense verendum,
Quod laetum celebras grandia festa tua!
Praeterierunt saecula adhuc iam quinque caduca,
Huius cum terrae tu decus atque honor es.
Naviter hic nitebantur fratres operosi,
Vixit et in gremio Luca poeta tuo.
Tintoretto coenobii templi decoravit
Aram pictura Virginis angelicae.
Exque tuo quoque gymnasio iam ingenia multa
Provenere quidem subsidio patriae.
Sit constans hic usque sacer, qui praedicat, ordo
Ad caeli laudes et patriae columen!
Dulces hanc vivi fontes animant regionem
Cinguntur que undis litora caeruleis·
En, hospes, Viti montem, qui surgit in altum,
Inde est prospectus mirificus oculis:
Ora virens ad Bol, horti vinetaque et arbor,
Insulae et aura micans et vada mira maris.
Hic te, coenobium, conservet Conditor orbis
Ac vigeas, donec Brattia et Hadria erunt!
Absque malo tecum Bol fauste crescat amoenus
Floreat et pollens pace bonoque fruens!

Bol, die XII. m. Oct.
A. D. MCMLXXV.

Ljubljana-Bol, 1975.

# V E R S U S

ad opportunam occasionem
V. FOEDERATIVI CONVENTUS JUGOSLAVICI
Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis
in honorem clarae urbis
**SKOPJE**

Salve Skopje, urbs praestans, quam Axios udat,
Sit tua semper abhinc, sit bona faustaque sors!

Dónec érit cóelum stéllis ornatum in órbe,
Donec aquae undique ab solis occasu
Et septentrione usque ad ortum solis
Et meridiem obluent patriae terram,
Vivas ac crescas, sed omne malum in perpetuo
Evenascat ex vultu terrae totius!
A momento horribilis terrae motus mane quinta hora cum sedecim punctis (mense Julio a. 1963) tu, nobile Skopje, quod appellaris, ut recentiore tempore dicitur, urbs solidarietatis (hoc est, urbs mutuae necessitudinis ac solidae et mutuae, actuosae et efficacis virium animorumque coniunctionis)
mox iam exstitisti et nunc exstas urbs potens et mundana in unione cum populis et gentibus cunctis in orbe;
fruaris usque pace et bono tu, s p l e n d e n s g e m m a m e r i d i e i!

Ljubljana, 1986

## OB DNEVU REPUBLIKE — AD DIEM FESTUM REI PUBLICAE

Iam vexilla hilare moventur, ecce.
Cum coetus memores sumus celebris,
cunctis pectora nunc ovant amice
Axio a fulvio Triglavum ad altum.

Per pugnas nova tempora orta sunt optima,
iam concordia et unitas ligant nos
atque abhinc honor esto nam labori,
paci, iustitiae tenax potestas.

Libertas bene dimicando adepta,
quod fructus pretiosus atque dulcis
maxime est habitum decus in orbe.
Et res publica passa per pericla
servatur populo fide probeque
et defensa erit uniter simulque.

Adnotatio ad v. 4: Axius, hodie Vardar.

Ljubljana, 1953

INDEX

pagina

**Caietanus Gantar, Praefatio** — — — — — — — — — 1

**A. Carmina conversa**

Carmina slovenica

Carmina popularia

**Aj mati — Mater, ah, matercula** — — — — — — 5
Aj mati — Mater, ah, matercula — — — — — — 5
Škrjanček poje — Alauda cantat parvula — — — — 6
Ej vigred — Ver est ecce — — — — — — — — 6
Ej vigred — Ver est (Eiusdem carminis altera versio) 7
**Pojem in se veselim — Camo gestioque** — — — — 7
Ta moja rožica — Flos hic meus — — — — — — 7
Dve let'in pol — Per duos annos et semis — — — 8

France Prešeren

Sem dolgo upal — Diu fovebam spem — — — — — 8
Zdravilo ljubezni — Remedium amoris — — — — 8
Pesem moja — Vas est, ecce — — — — — — — 10
Trnovo: Bil vel'ki teden je — Paschae tempus erat — 10
O Vrba — O page paterne — — — — — — — — 11
Sreče dar — Cui fortuna — — — — — — — — 11
Življenje ječa — Vita carcer — — — — — — — 12
Memento mori — — — — — — — — — — — 12
Iz Zdravice — E cantico propinationis — — — — 13

Anton Martin Slomšek

Veseli hribček — Laetus collis — — — — — — 13
Modre misli — Sententiae — — — — — — — — 13
**Zastavica — Aenigma** — — — — — — — — — 14

Valentin Orožen

Lastoviki — Hirundini — — — — — — — — — 14

Fran Levstik

Dve otvi — Duae anates — — — — — — — — 14
Prvi poljub — Primum osculum — — — — — — 15
Čebelni roj — Examen apium — — — — — — — 15
**Potnikov dvom — Viatoris dubitatio** — — — — — 15
Sovražnikom — Ad inimicos — — — — — — — 16
Omnia evanescunt — — — — — — — — — — 16

Simon Jenko
Ko je sonce vstalo — Cum sol ortus est — — — — 16
Cum sol ortus est (eiusdem carminis altera versio) — 17
Gori — Ad montem — — — — — — — — — 17

Josip Stritar
Jablani — Ad malum — — — — — — — — — 18
Siromak — Senex mendicus — — — — — — — 18
Smreki — Ad pinum — — — — — — — — — 18

Simon Gregorčič
Sam — Solus — — — — — — — — — — — 19

Franc Cimperman
Nebo oblačno se zjasni — Ne spem amittas — — — 19

Anton Aškerc
Triije popotniki — Tres viatores — — — — — — 19

Fran Saleški Finžgar
Triglav — — — — — — — — — — — — — 20

Fran Ksaver Meško
Jesen — Autumnus — — — — — — — — — — 20

Ivan Cankar
Večerni mrak — Vespertina crepuscula — — — — 21
Noč prihaja — Nox venit — — — — — — — — 21
To je bilo davno — At pridem fuit hoc — — — — 22
O mraku — En crepuscula sunt — — — — — — 23

Oton Župančič
Ti skrivnostni moj cvet — Tu mi mystice flos — — 23
**Naj koder koli sem hodil — Ouavis meaverim** — — — 23
Veter od morja — A mari ventus levis — — — — — 23
Kanglica — Scyphus — — — — — — — — — 24
Hrepenenje — Desiderium — — — — — — — — 24
Zaljubilo se sonce — Sol amore captus — — — — 25
Skoz telefon — Per filum aeneum — — — — — — 25
Zdravica — Propinatio — — — — — — — — 26

Josip Murn Aleksandrov
Kmečka pesem — Carmen rusticum — — — — — 26
Na holmcu — In collicello — — — — — — — — 26
S cvetkami šepeče — Murmurat cum floribus — — — 27
Žalost — Tristitia — — — — — — — — — — 27
Pojdem na polje — In campos properabo — — — — 27
Zdaj te ni, ljubica — Nunc abes, amata — — — — 28
Tašča pozdravlja snaho — Socrus propinat nurui — — 28

Alojz Gradnik
Sinu — Ad filium — — — — — — — — — — 28
Škrjanček — Alaudula — — — — — — — — — 29
Vizija — Visio — — — — — — — — — — — 29
Naša zemlja — Terra nostra — — — — — — — 30
Iz globočin — De profundis — — — — — — — 30
Noči — Noctes — — — — — — — — — — 30
Mors victrix — — — — — — — — — — — 31

Lili Novy
Ladja — Navis — — — — — — — — — — — 31
Zvezda — Stella — — — — — — — — — — 32

Igo Gruden
Tožba — Querella — — — — — — — — — — 32

Janko Glazer
Spomenik padlim borcem — Monumentum in armis pro patria peremptorum — — — — — — — — — 32
Balada o njem in o njej — Fabula de eo eaque — — 32
Domotožje — Patrii soli desiderium — — — — — 33
Materi — Ad matrem — — — — — — — — — 33
Ko pada mrak — Crepusculo cadente — — — — — 33

Jože Pogačnik
V mraku — Crepusculo pendente — — — — — — 34

Mile Klopčič
Vsakdo — gost — Omnis—homo—hospes — — — — 34
Tri otrokove želje — Haec tria cor cupit — — — — 34

Leopold Stanek
Bolnik — Aegrotus — — — — — — — — — — 35
Novi grobek — Tumulus novellus — — — — — — 35
Majska — Maius adest mensis florens — — — — — 35

Vladimir Pavšič-Bor
Nocoj me ne bo — Vespere non adero — — — — — 36
Luža — Lacuna — — — — — — — — — — — 36
Brat soncu — Soli frater — — — — — — — — 36
Odšla je deklica — Discessit virgo venusta — — — 37

Rado Bordon
V parku — In hortulo — — — — — — — — — 37
Poslednje pismo — Ultima epistula — — — — — 37
Vrnitev — Reditus — — — — — — — — — 38

Gema Hafner
Na praporih rdeči križ — Carmen ad anniversarium institutae Societatis crucis rubrae celebrandum — — 39
Dobrotnikom krvodajalcem — Ignotis amicis beneficis 40
Sonce življenja — Vitae sol splendidus — — — — 41
(Silvo Kopriva: Adnotationes ad versus in memoriam Theodori Borko) — — — — — — — — — — 41
Misli — Sententiae — — — — — — — — — — 42

Lojze Filipič
Lepo drevo in grdo drevo — Pulchra arbor et arbor taetra — — — — — — — — — — — — — 42

Karel Destovnik Kajuh
Ko je prvič ročice razprl — Cum manus primum teneras tetendit — — — — — — — — — — — — — 43

Polde Oblak
Bel dan je bil — Ille dies nituit — — — — — — 43

Igor Pleško
Zgoraj so sence — Sunt umbrae super — — — — 44
Ni vas tu — Non adestis hic — — — — — — — 44
Kdo je za vojno? — Quis bello favet? — — — — — 44
Ko sneg se bliža — Nive imminente — — — — — 46
Sam — Solus — — — — — — — — — — — 46
Človek in morje — Homo et mare — — — — — — 46

Janez Menart
Leta Gospodovega — Anno Domini — — — — — 47
Pastorala — Carmen pastorale — — — — — — 48

Kajetan Kovič
Majska romanca — Fabula vernalis — — — — — 48

Andrej Kokot
Moja beseda — Verbum meum — — — — — — 48

Niko Grafenauer
Mama — Matercula — — — — — — — — — 49

Anica Olip
Strah — Pavor — — — — — — — — — — 49
Tebi — Ad iuvenem — — — — — — — — — 50
Moje misli — Cogitata mea — — — — — — — 50

Alenka Berkopec
Ko sem sama — Cum sola moror — — — — — — 50
Čutim samoto — Sentit cor solitudinem — — — — 50
Lučka tam daleč — Procul ibi lucernula — — — — 51

Eva Uršič
Bežim pred praznino — Fugio inanitatem — — — — 51
Sama sem — Sola sum — — — — — — — — 51

Zorka Poženel
Pozdravljam te, preljuba vas — Saluto te, venuste page 51
Zbogom, draga vas — Vale, care page — — — — 52
Prijatelj — Amicus — — — — — — — — — 52
Radost — Laetitia — — — — — — — — — — 52

Jurij Košir
Umrla je stara gospa — In memoriam — — — — 53

Justina Sape
Nje ne iščite! — Ne quaeratis eam, amicii! — — — — 53

Anica Šumenjak
Na dan pokojnih — Die defunctorum — — — — — 54
Večer — Vesper — — — — — — — — — — 54
Pod brajdami — Sub vitibus — — — — — — — 55
Pismo — Epistula — — — — — — — — — — 55
S teboj — Tecum — — — — — — — — — — 55
Zadnja pesem — Carmen ultimum — — — — — — 56
Ob večerih — Cum vesperi sunt — — — — — — 56

Dušan Velkavrh
Dala ti bom cvet — Florem tibi dabo — — — — — 57
Florem tibi do (Rhytmice) — — — — — — — 57

**Varia**

Vnuk — Nepos — — — — — — — — — — — — 58
Duhovite misli — Subtiliter dicta ex actis diurnis — — 59
Pregovori — Proverbia — — — — — — — — 59
Prošnja gozda — Presec silvae — — — — — — — 59
**Ko zarja zjutra — Aurora mane (carmen ecclesiasticum)** 60

Carmina Croatica
Carmen populare
**Riba i djevojka — Piscis et puella** — — — — — — 60

Petar Preradović
**Noćna pjesmica — Cantiuncula nocturna** — — — — 61

August Šenoa
Večer bija — Vesper erat — — — — — — — — 61

Dragutin M. Domjanić
(Stari zazvonel je zvon) — Ave Maria — — — — — 61

Franjo Ciraki
Zdravo, ponosni grade — Nobilis urbs Arni florente in litore, salve! — — — — — — — — — — 62
Zdravo, zvijezdo večernja — Salve, stella vespertina — 62

August Harambašić
Nevenka — Hos tibi praebeo flores — — — — — — 63

R. Katalinić Jeretov
Sa prozora — De fenestra — — — — — — — — 63

Milan Begović
Dunja — Cydonia — — — — — — — — — — 63

Vladimir Nazor
Galijotova pesem — Carmen remigis — — — — — 64

Gustav Krklec
(Zrno do zrna pogača) — De centum epigrammatibus selacta — — — — — — — — — — — — — 65
(Tužio se som) — Epigrammata — — — — — — 65
(Slijepi pjevač) — Citharoedus caecus) — — — — 66

Dobriša Cesarić
Putujući Slavonijom — Quam cara — — — — — 66
Slavonija — Slavonia — — — — — — — — — 66

Drago Gervais
Pipa — Fumisugium — — — — — — — — — 67

Carmina Serbica
Carmen populare
Devajka ružici — Puella ad rosam — — — — — 67

Dositej Obradović
Sve sa mnom tuži — Mecum cuncta queruntur — — 67

Branko Radičević
Stražilovo — Ad Stražilovo — — — — — — — 68
Sretan pastir — Pastor felix — — — — — — — 68

Djura Jakšić
Gdje ja šećer sijem — Sacchara ubi sevi ... — — — 68
Jovan Jovanović
Svet — Mundus — — — — — — — — — — 69
Pero Popov
Da ti umreš — Si decessisses de vita — — — — — 69
Carmina Macedonica
Carmina popularia
Ne odlazi u tudjinu — Terras externas ne adeas — — 70
Zašto mi se srdiš libe — Cur irasceris mi, care? — 70
Sadi lozu — Vites virgo conserit — — — — — — 71
Blaže Koneski
Z vlaka — Ex curru ferriviario — — — — — — — 71
Carmen Graecum
Sappho Mitilenaea
Hči Dione, pridi! — Dionae filia Cypris, veni! — — 71
Carmina Russica
Canticulum populare
Volna-val — Unda — — — — — — — — — — 72
Maja Perfiljeva
Mjesec i ti — Luna et tu ... — — — — — — — 72
Carmen Bohemicum
Jindrichi Slaviček
Igrajo se vojake — Lusere militiam puelluli — — — 73
Carmen Italum
Piero Monaci
Alla nebbia — Megli — Ad nebulam — — — — — 73
Carmina Germanica Austriaca
Walter Toman
Veter — Ventus — — — — — — — — — — 74
Hermann Lienhard
Spremanje — Immutatio — — — — — — — — 75
Alois Hergouth
Misel — Sententia — — — — — — — — — — 75
Tako je — Plane ita est — — — — — — — — 75
Ptičja morala — Avium mores — — — — — — 75
Po svoji presoji — Suo arbitrio — — — — — — 76
Razum — Ratio — — — — — — — — — — 76
Epilogus — — — — — — — — — — — — 76
Golobi — Columbi — — — — — — — — — 76
Paul Wimmer
Koder hodiš z dežjem — Imbre non lavabimur — — 77
F. H. Krenn
General v pokoju — Dux emeritus — — — — — 77
(Silvester Kopriva: Adnotationes ad carmina poetarum non Iugoslavorum — — — — — — — — 78

Versus Sinenses
Liu Yu-Si — Gradnik
Cvetke — Flosculi — — — — — — — — — — 78

**B. Carmina et versus ipsius auctoris Silvestris Kopriva**

Ver — Pomlad — — — — — — — — — — — 79
Autumnus — Jesen — — — — — — — — — 79
Aestats I — Poletje — — — — — — — — — 80
K tebi priti si želil — Ad te venire cupio — — — — 80
Podobo ljubo objemajo oči — Caram hanc effigiem amplectunt oculi — — — — — — — — — 81
Viro doctissimo Milano Grošelj — — — — — — 81
Viro doctissimo Michael Petruševski — — — — — 82
Versus ad insignem occasionem celebrationis anniversarii LXXV Collegii S. Stanislai — — — — — — — — 83
Versus urbem Ljubljana honorantes — — — — — 84
Versus in honorem oppidi Poetovionis et ad memoriam Antonii Sovrè — — — — — — — — — 84
Daleč kot nebo — Ut caelum procul — — — — — 86
Zima — Hiems — — — — — — — — — — — 87
Poletje — Aestas II — — — — — — — — — 87
Versus ad opportunam occasionem III. foederativi conventus Iugoslavici Societatis studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem grati oppidi Žalec — — 88
Versus ad laetam et faustam occasionem celebrationis XL. anniversarii gymnasii conditi in clara ac praestanti urbe Tergeste — — — — — — — — — 92
Versus ad laetam et faustam occasionem IV. conventus Vitae Latinae in pernobili et incluta urbe Avenione 93
Versus ad laetam et faustam occasionem XIII. Cnoventus Eirenes in pernobili et incluta urbe Dubrovnik — 96
Versus ad opportunam et optatam occasionem I. foederativi conventus Iugoslavici Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem praestantis et nobilis urbis Ohrid — — — — — — — — 102
Versus ad opportunam et optatam occasionem II. foederativi conventus Iugoslavici Societatis studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem praestantis et nobilis urbis Novi Sad — — — — — — 107
Versus ad laetam et felicem occasionem celebrationis CLXXXV. anniversarii constituti gymnasii in oppido Sremski Karlovci — — — — — — — — 112
Versus ad laetam et faustam occasionem celebrationis XC. anniversarii gymnasii conditi in pernobili urbe Cetinje — — — — — — — — — — — — 113
Janko Djonović, Quies rosea — — — — — — — 114
Versus ad opportunam occasionem IV. foederativi conventus Iugoslavici Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem praestantis et clarae urbis Polae — — — — — — — — — — — 114
Ad domnum Franciscum Bulić — — — — — — — 116

Versus ad laetam et faustam occasionem celebrationis CCCLXXX anniversarii gymnasii conditi in praestanti et clara urbe Zagreb — — — — — — — 117
Iucundi sunt acti labores — — — — — — — — 119
Versus ad laetam et faustam occasionem Quingentesimi anniversarii constituti coenobii S. Dominici in conspicuo oppido Bol in insula Brattia sito — — — 120
Versus ad opportunam occasionem V. Foederativi conventus Iugoslavici Societatum studiis antiquis colendis ac fovendis in honorem clarae urbis Skopje 121
Ob dnevu republike — Ad diem festum rei publicae — 122

Adnotatio: Carmina Ut caelum procul, Hiems, Aestas II (p. 86—87) inter Carmina Aestas I (p. 80) et Ad te venire cupio (p. 80) stare oportebant. Hunc errorem typographicum cum serius exstitit, corrigere iam non potuimus itaque ordo carminum hoc loco perturbatus est.

Универзитетска печатница „Кирил и Методиј“ — Скопје